MARC ANTOINE MURET POEMATA VARIA (2915 vers)

Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition parue en 1774, à Hanovre, chez les frères Helwing.

# M. ANTONII MURETI POEMATA VARIA DUOBUS LIBRIS DISTINCTA.

## ANTONII MURETI POEMATUM VARIORUM LIBER PRIMUS.

(1435 vers)

### PSAL. XIV. (AL. XV.) 'DOMINE, QUIS HABITABIT ETC.'

P1_1

Quisnam, o Rex aeterne, tuam admittetur in aulam,
   cui dabitur montis culmen adire tui,
perpetua ut tecum compostus pace fruatur,
   carpens nota unis gaudia caelitibus ?
Qui nulla ingreditur macula suffusus, amatque
   ex animo rectum, justitiamque colit,
cui neque cor fraudes agitat, neque subdola lingua est,
   a quo se laesum dicere nemo potest.
Quem fugiunt injusti, et quo praesente liquescunt,
   quo viso, justis mens animusque redit.
Quem mutare fidem numquam jactura coegit,
   fenore qui partas odit et horret opes.
Nullo umquam judex potuit qui munere vinci,
   ut duro insontes laederet ore reos.
Qui facit haec, is demum in caeli templa receptus,
   tecum una dempto fine beatus erit.

## PSAL. LXVI. (AL. XLVII.) 'OMNES GENTES PLAUDITE, ETC.'

P1_2

O Populi, lato quoscumque alit ubere tellus,
ingeminate alacres plausum, luctuque fugato,
laeta triumphali resonent, facite, omnia cantu,
ille etenim regum ter maximus, ille tremendus,
quem sola terrarum, caeli quem templa verentur,
subjecit nobis populos, fastuque represso
ferre jugum, admota pedibus cervice, coegit,
ipsemet elegit clemens patrimonia, nobis
quae daret, aeterno Isacidae succensus amore.
Euge pater, pater euge, tuum haec sunt omnia munus.
Ascendente Deo, litui sonuere, tubaeque
prodidit ipse novis sua gaudia vocibus aether.
Psallite nunc, pia corda, Deo, nunc psallite Regi,
psallite, qui terras omnes dicione coercet :
et mulcete pias doctis concentibus aures.
Imperium sine fine Deus toto obtinet orbe,
et sancto innixus soli regit omnia solus :
ductores populorum illius signa sequuntur.
Namque Abrahami alios longe Deus anteit omnes ;
scuta sua extulit ipse alte super ardua terrae.

## PSAL. LI. (AL. LII.) 'QUID GLORIARIS IN MALITIA, ETC.'

P1_3

Quid gloriaris, perfide, quid tumes ?
An ista verum nescia proloqui
te ceteros supra ferocem
lingua bonis inimica reddit ?
Cura una et unum est id studium tibi.
Noctes diesque hanc, ut potes, asperas
novaculae in morem, et latentes
insidias struis huic et illi.
Te laeta damnis improbitas juvat,
egensque semper pluris iniquitas.
Tu foeda facta et fraudulenta
usque <bon>is cumulare gaudes. (cf. note dans version '.doc' du texte scandé.)
Queiscumque verbis, o scelerum artifex,
posse in ruinam praecipites agi
confidis insontes amicos,
illa tibi didicisse melli est.
Quapropter ultor, ne dubita, Deus
tandem a merenti supplicium exiget
radicibusque evulsum ab imis
sedibus ejiciet tuis te.
At haec videntes, artubus intimis
justi ingemiscent, et magis ac magis,
ne provocent in se quoque iram
Numinis, admoniti cavebunt.
Tu risus illis interea miser
jocusque fies, En, sibi qui Deum
temnebat adjutorem, et in se
sat sibi praesidii putabat !
Quid nunc, quid illum perscelera et dolos
exstructae in altum divitiae jugant ?

In pulverem omnia et favillam
et tenues abiere fumos.
Ego autem, in uno spem mihi qui Deo
omnem locavi, liber agam metu,
florens olivae instar nitentis,
quam domini studium tuetur.
Semperque, regum maxime, te canam,
nec me sonoris deficiet tuum,
plaudente justorum corona,
carminibus celebrare nomen.

PSAL. CXIV. (al. CXVI). 'DILEXI QUONIAM etc.'

P1_4 Summus amor domini medio mi in pectore fervet,
namque meas clemens audiit ille preces.
Excepitque meas facili bonus aure querelas.
Illum igitur, fuerit dum mihi vita, colam.
Letiferi haerebam vinctus quasi fune doloris,
nec procul a durae limine mortis eram.
"Summe Deus, dixi, solo te vindice fretum
eripiat tantis me tua dextra malis."
Ut bonus est ! Ut opem cito rite vocantibus adfert !
Justus ut, et nitidae simplicitatis amans !
Attritus prope eram, cum me consurgere jussit,
depulit et capiti cuncta pericla meo.
Quid trepidas, anima ? Ad solitam te verte quietem,
plurima supremi munera regis habes.
Ille a morte animam hanc, a tristi lumina fletu,
a lapsu infirmos eripuitque pedes.
Vivam igitur posthac illo duce et auspice tutus,
et mea semper erit cura placere Deo.

## LIBELLUS HYMNORUM SACRORUM.

SERENISSIMO PRINCIPI GUILIELMO GONZAGAE, DUCI MANTUAE, MONTISFERATI, &c.

P1_5 Magne Ducum, fetam populis cui fortibus urbem
pulcher odorifero Mincius amne lavat,
sume datis a te scriptos mihi legibus hymnos,
neve parum culti despice vatis opus.
Illi etiam, quorum hic meriti celebrantur honores,
lucida quos constans vexit ad astra fides,
non indignantur parvo sibi thure litari,
atque animum magni muneris instar habent.
Forsitan his olim juvenis meliora dedissem,
et mulcere aures dulcius apta tuas :
sed veniens etiam ingenio est damnosa senectus,
nec tantum vires corporis imminuit.
Cum mihi turgerent meliori sanguine venae,
nec curarum animum pondera deprimerent,

sponte sua numeris carmen mihi mollibus ibat,
   et subito versus fundere ludus erat.
Nunc et corpus hebet senio, et mens ipsa pigrescit.
   Quodque habuit ludo, nunc onus esse putat.
Dulce onus hoc tamen est, quod, te mandante, subitur.
   Et leviora facit jussa jubentis amor.
Atque utinam haec roseo legat et Vincentius ore
   Phoebi et Musarum maxima cura puer :
qui florescenti paulatim attollitur aevo,
   ut sata se ad fluvii subjicit alnus aquas.
Felix, cui teneris Helicon lustratur ab annis,
   et bibitur volucris fons pede factus equi.
Quem jam ipsa Uranie blandis complexa lacertis,
   stellatas superum vexit ad iisque domos,
ostenditque astrorum ignes, caelique meatus,
   queisque suos peragant legibus illa choros.
Quis scit, an et caelo dum singula despicit, inter
   cetera majores viderit astra suos ;
et quos purpureo contexit Roma galero,
   et qui regali sceptra tulere manu ?
Fortunate puer, magnum patris incrementum,
   cui Lachesis nec plena aurea fila colo.
Vive diu, utque dati poscit tibi nominis omen,
   tende atavos omni vincere laude tuos !
Neu grave sit, dum dona tibi graviora parantur,
   interea partem carminis esse mei.

## HYMNI SACRI. IN ADVENTU.

P1_6
Verbum, quo omnipotens condidit omnia,
summi praevalidum consilii Angelum
vatum plena Deo pectora dixerant,
   venturum, ut fieret caro.
Primi quo maculam dilueret patris,
serpentisque vafri contereret caput,
praeclusamque homini morte recluderet
   in caelum propria viam.
Ergo turba patrum, carcere liberos
qui longo per eum se fore viderant,
caelum suspiciens, luctisonis dabat
   carmen lugubre vocibus :
o qui pollicitis applicitos tuis,
quamvis cuncta potes, fallere non potes,
longas tolle moras, et cito, quem tibi
   certum est mittere, mittito ?
Simplex aetherei numinis Unitas,
quae distincta eadem est veraque Trinitas,
aeternis vigeat semper honoribus,
   et terra simul et polo.

## IN DIE S. BARBARAE.

P1_7
Qualis, nulla polum nubila cum tegunt,
inter clara nitet sidera Phosphorus,

talis martyrio conspicuas micat
   inter Barbara virgines.
Cui solus teneris Christus ab unguibus
ussit cor nitidum perpetua face,
cui desiderium, cui fuit unicus
   spretis Christus amor procis,
quamvis imperio barbarus aspero
terreret genitor ; quem furor, et mala
perduxit rabies, ut gladio caput
   natae demeteret suae.
Vinclis illa quidem libera corporis
felix ad superos protinus evolat,
sed christus sceleratum in Stygias patrem
   sedes fulmine dejicit.

## AD LAUDES.

P1_8

Sanctae triumphum virginis
laeti canamus Barbarae,
palmaeque honorem duplicis,
quam virgo martyr obtinet.
Non stirpis illam regiae
splendor superbam reddidit,
quin se a tenellis unguibus
Christo regendam traderet.
Insanus infremit pater,
omnesque poenas admovet,
tandemque sacrum filiae
caput cruentus amputat.
At virgo casti corporis
soluta vinclis emicat,
volatque stipata Angelis
ad expetitum conjugem.
Aeterne cunctorum Pater,
aeterne Fili par Patri,
et par utrique Spiritus,
soli tibi sit gloria.

## IN NATALI DOMINI.

P1_9

O Nox vel medio splendidior die,
cujus per tenebras virginis integrae
ex alvo nitida Sol novus emicat,
    complens omnia lumine.
Aeterno imperio qui regit omnia,
humanumque Deo conciliat genus,
is nunc sub tugurii vilis operculo
    nascens, pauperiem docet.
Pastores ovium, dum gregibus suis
intenti vigiles excubias agunt,
primi hunc angelico carmine nuntium
    laetis auribus hauriunt.
Grata est haud dubie simplicitas Deo.
Grata est vita, dolis quae procul omnibus

rectum sponte sua perpetuo colit,
et priscam retinet fidem.

IN DIE STEPHANI.

P1_10

Levitae juvenis fortia pectora
ornati solitis tempus honoribus,
primus martyrii qui sibi lauream
vitae prodigus induit.
Tundebat lapidum, grandinis in modum,
denso turba fremens imbre sacrum caput,
numquam mota suo sed tamen est loco
mens sancto ebria Spiritu.
Sed sese in mediis ictibus erigens,
ad caelum penetrans, en ait : "En eum,
pro quo dulce mori est, jam video patris
ad dextram positum Dei.
At tu, Christe, sinu suscipe me tuo,
atque his, qui tenebris turpibus obruti,
quo sese impediant crimine, non vident,
quaeso te, veniam dato."

IN DIE S. JOHANNIS EVANGELISTAE.

P1_11

Christo prae reliquis carus Apostolis,
qui supra Domini pectus in ultimis
discumbens epulis composuit caput,
festa luce canendus est.
Felix, cui Dominus jam rigida in cruce
pendens, jamque neci prodimus. Et Patri
sanctam sancto animam tradere cogitans,
matrem crediderit suam.
Felix, qui se aquilae more super polos
tollens et nitida in luce Deum videns,
divino eloquii flumine filium
aequalem docuit Patri.
Felix, qui senio jam gravis et sacra
multa canitie tempora consitus,
ut si membra levis corriperet sopor,
in Christi rediit sinum.

IN DIE SS. INNOCENTIUM.

P1_12

Cantemus tenerorum agmina Martyrum,
quos regis rabies abstulit impii,
cunas. Innocuo sanguine proluens,
Christum perdere dum furit.
O nullis feritas cognita saeculis,
materno pueros e gremio rapi,
perfossa ut rutilis corda mucronibus
lac cum sanguine funderent.
Heu quis, cum solito raptus ab ubere,
districtumque pavens ad gladium puer,

blandas carnifici porrigeret manus,
    siccis adspiceret genis ?
Augent angelicos nunc pueri choros,
et Christum liquido gutture concinunt
Herodem meritis debita talibus
    poena in perpetuum premit.

## IN FESTO S. SYLVESTRI.

P1_13 Priscos Roma duces desine laudibus
efferre immodicis, qui valida manu
fines imperii protulerunt tui,
    quacumque Oceanus patet.
His solus tibi plus contulit omnibus
sanctorum eximium Pontificum decus,
Sylvester, dominam qui prius urbium
    Christi supposuit jugo.
Multo te ille prius sanguine Martyrum
respersam docuit parcere caedibus,
et quos mille modis saeva peremeras,
    illorum monitus sequi.
Romam idem precibus nunc quoque, caelitum
adscriptus numero, perpetuis juvet,
et, tanti ossa suo quae gremio viri
    servat condita, Mantuam.

## IN DIE CIRCUMCISIONIS.

P1_14 Circumcisio agitur lux Domino sacra,
quae jam, si Dominum rite licet sequi,
impura e tumidis omnia nos monet
    circumcidere cordibus.
Umbra Evangelii lex fuerat vetus.
Sed Sol exoriens ut tenebras fugat,
sic Sol justitiae legitimis suum
    finem ritibus attulit.
Nobis corporeo nil gladio est opus :
sermo quippe Dei vivus et efficax,
sese instar gladii mentibus inferens,
    ad vivum omnia persecat.
Quae semper vitii germina pullulant,
e nostris utinam cordibus amputet !
Anni principium sit simul ut novi
    vitae principium novae.

## IN DIE EPIPHANIAE.

P1_15 Quae vos causa Magi, dicite, perpulit
e vestris iter huc carpere finibus ?
Quem tanto studio quaeritis anxii ?
    Quove haec munera pertinent ?
Nos stella insoliti luminis huc trahit,
et dux certa viam perpetuo praeit,

Judaeae populis quae cupientibus
regem significat datum.
Auri isthaec sed enim quid sibi pondera,
myrrhae mirificus quid sibi vult odor ?
Aut quae, cum populus sacra Deo facit,
aris tura solent dari ?
Rex auro colitur, tura Deum decent,
nostri myrrha homines post obitum linunt.
Huic ergo haec pariter munera congruunt.
Qui et Rex est, et Homo, et Deus.

## A SEPTUAGESIMA AD CINERES.

P1_16

Eheu ! quam scelerum non tolerabilis
nos urget miseros sarcina, quae Dei
nostris principio mentibus inditam
obscuravit imaginem.
Si nos pro meritis accipiat Deus,
causae nil fuerit, quo minus agmine
in tristes tenebris perpetuis domos
uno praecipites agat.
Sed semper facilis flecti in eos fuit.
Quos culpae ex animo paenituit suae ;
numquam horum lacrimis et gemitu tulit
se frustra veniam peti.
Hac spe, quam ipse dedit, poscimus ut gravi
pressos exoneret pondere, neve se
in nostro rigidum crimine judicem,
sed mitem exhibeat patrem.

## A DIE CINERUM.

P1_17

Multis tensa epulis viscera dum tument.
Mens oppressa nihil cogitat arduum,
et more indomiti luxurians equi
pugnat spiritui caro.
Sed subtracto eadem comprimitur cibo,
et se spiritui morigeram exhibet,
qui cum nulla gravant pondera sordium,
in caelum celer evolat.
Primus corporeo legifer a cibo
bis binos decies abstinuit dies,
quem Christus numerum nos itidem sequi
exemplo docuit suo.
Sed frustra vetitis os tenet a cibis,
qui factis animum turpibus inquinat,
jejuno assiduae conveniunt preces,
cumque his munificae manus.

## IN DOMINICA PASSIONIS.

P1_18

Aequaeva ingenito progenies Patri,
vitam morte suis redderet ut sua,

se Christus nivei velleris hostiam
ultro supplicio obtulit.
O erga immeritos mirus amor Dei,
natum, quae pietas, tradidit unicum,
ut pro mortifera fraude nocentium
poenas solveret innocens.
O non visum alias sacrificI genus,
in quo aeterna Deo sacra facit Deus,
et mortem moriens opprimit, et sibi
ipse est victima Pontifex.
O crux tincta sacri flumine sanguinis,
olim supplicium mancipiis grave,
nunc regum capiti praecipuum decus,
te flexo colimus genu.

## IN DOMINICA IN RAMIS PALMARUM.

P1_19

Regem pacificum, moenia dum subit
urbis celsa suae, turba manu ferens
palmarum gravidos obvia termites,
faustis vocibus excipit.
Hic laetas spoliat frondibus arbores ;
hic serta ante pedes florea projicit,
supplex ille manus porrigit ; hic suis
terram vestibus obtegit.
Heu mentes hominum ! Quis fore crederet,
quem tantis studiis exciperet frequens,
post paucos ut eum turba eadem dies
suffixum adspiceret cruci ?
Nil in vita homini perpetuum datur.
Rebus ne nimium fidite prosperis,
plerumque hic lacrimis gaudia temperat
certo consilio Deus.

## IN DIE PASCHAE.

P1_20

Ponatur lacrimis jam modus, et novis
templorum resonent atria canticis !
In vitam reduci nam Domino sacer
poscit laetitiam dies.
Lux post Christi obitum tertia venerat,
cum spes sancta moraeque impatiens amor
matronas parili nomine nobiles
visendum ad tumulum vocat.
Tum motum lapidem, tum lapidi vident
innixum niveis vestibus Angelum,
qui, quo sollicitis eximeret metum,
pauca et certa locutus est.
"Non hoc amplius est, quem petitis, loco.
In vitam rediit Christus ab inferis.
Ite, et discipulis haec eadem date
summi nuntia gaudii."

## IN DIE ANNUNTIATIONIS B. VIRGINIS.

P1_21 Ad te sidereis missus ab arcibus
cum venit Gabriel, virgo, renuntians
te summo ante alias complacitam patri,
mox matrem Domini fore,
turbata tibi nunc purpureus genas
sparsit mente pudor, nescia quod viri
casto, sponsa licet, pectore virginem
semper te fore voveras.
Verum idem subito nuntius addidit :
"Istos pone metus ! Nam tibi jam datum est,
ut virgo maneas, et tua compleat
sanctus viscera Spiritus."
Tunc ore ex roseo vox tibi prodiit,
testis mirificae certa modestiae :
"Ecce ancilla Deo subdita, nil moror,
fiat, quod Dominus jubet !"

## IN FESTIVITATIBUS S. CRUCIS.

P1_22 Gentes, nulla quibus notitia est Dei,
armis, imperio, prole superbiant ;
nobis, queis melior Spiritus obtigit,
sola est in cruce gloria.
Lignum prima homini pernicies fuit,
cum primus vetitam contigit arborem
captus femineis illecebris parens,
quo se perdidit ac suos.
Sed post lignum homini certa salus fuit,
cum scandens patulam Christus in arborem,
(aeternus fieri sic voluit parens)
vitae restituit suos.
Crux hostes hominum sola procul fugat ;
crux sola insidiis munit ab omnibus,
adversa intrepidus despiciat, licet,
cujus spes Cruce nititur.

## IN DIE ASCENSIONIS.

P1_23 Victae in perpetuum mortis et inferum
insignis, spoliis luce nitens nova,
primusque insolitum Christus iter secans
arces in patrias redit.
Natus nasci iterum nos quoque dum cupit,
mundo mortuus est, nos cupiens mori,
surgens et repetens aethera, nos quoque
ut possimus idem, dedit.
Christo nunc igitur vivere nos decet,
ut Christo pariter detur inemori.
Surgentes eadem nos quoque gloria
puro lumine vestiet.
O per qui te, hominum conditor, ingredi
castae adduxit amor viscera virginis,

nos dignare, tuis artubus insitos,
voti reddere compotes !

## IN DIE PENTECOSTES.

P1_24

Lustra nostra tua pectora lampade,
qui quondam, altisono spiritus a Patre
lustrasti unanimes missus Apostolos,
linguis deditus igneis.
Confirma dubios, dirige devios !
Consolare tui muneris indigos,
letalique animos frigore torpidos
sanctis ignibus excita !
Mens doctrinam avide nostra bibat tuam.
Perstetque assidue tota Deo calens,
et, spem firmam in eo constituens sibi,
terram pro nihilo putet !
O rerum alme sator, certe homines sumus,
quamquam indigna, tuae plasmata dexterae,
ne fer, quos tua vis ex nihilo extulit,
aeterno exitio obrui !

## IN DIE SS. TRINITATIS.

P1_25

O nullis hominum pervia sensibus,
naturae penitus sola capax tuae,
cujus condita sunt omnia numina,
aeterna et monas et trias.
Nato aequeve Pater, Nateque par Patri,
et manans ab utroque inclyte Spiritus,
circumfusa tuo nubila lumine
nostro discute pectori.
A, mens per speculum cernere te queat
nostra, et posthabitis te petat omnibus,
e jussisque tuis pendeat, et tibi
soli dedita serviat !
Tu clemens miseris da veniam Pater !
Tu Fili miseris sterne iter ad Patrem !
Tu sanctum miseris Pneuma vagantibus
praefer conspicuam facem !

## IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

P1_26

Caelestes epulae, certa piis salus,
quas apponit amor, pura capit fides,
in queis ipse cibi perpetui loco
cenae se Pater exhibet.
Hic verbum Domini fallere nescii
caecis judicium sensibus obrogat ;
quod non est, oculi cernere se putant,
nec praesens quod adest, vident :
sub panis specie viva latet caro,
sub vini specie sanguis, et utraque,

seu tantum species sumitur altera,
Christus sumitur integer.
Felix, qui Dominum sedulus hospitem
abstersis animi sordibus excipit !
Qui contra facere id negligit, ah miser
ipse est exitio sibi.

## IN NATIVITATE S. JOHANNIS BAPTISTAE.

P1_27

Sanctorum soboles sera parentium,
solis perpetui Prodrome Lucifer,
qui nascens hilaras omnia, dum tuum
natalem colimus, fave !
Nondum natus eras, cum dominum tamen
nondum castae utero virginis editum
agnosti exsiliens, et quatiens novo
matris viscera gaudio.
Mox et magnanimus tesqua petis puer,
et victu populos horridos admones,
factis abstineant turpibus, et viam
adventante parens Deo,
o cui voce sua maximus arbiter
laudem supra homines egregiam dedit,
e caelo assiduis, quaesumus, adjuva
cultores precibus tuos.

## IN DIE TRANSFIGURATIONIS.

P1_28

Quam crebro dederat discipulis fidem,
confirmare modis dum studet omnibus,
tres secum comites montis in ardui
adsumpsit Dominus jugum,
illic frons radiis cincta micantibus,
solaris nituit lampadis in modum ;
tum, qua tectus erat, protinus est nivi
vestis reddita concolor.
Cum Christo gemini visi etiam senes,
et jussa ad populum cui dederat Deus,
et qui sidereas visus erat domos
quadrigis petere igneis.
E nubis nitidae quin etiam sinu
haec dicta omnipotens intonuit Pater :
"Hic est, quem eximie diligo, Filius,
hujus jussa capessite.

## IN DIE S. LAURENTII

P1_29

LaurentI canimus nobile proelium,
qui cum visceribus flammam aleret suis,
et cratem roseo sanguine spargeret,
subjectis ruber ignibus,
constanter Domini perstitit in fide,
ambustumque latus carnifici exhibens,

en istam rabiem quo magis expleas :
"Hoc jam coctum, ait, est, vora."
Tanto corporeis ignibus acrior
Christi ardebat amor pectore in intimo :
sic mens tota Dei fervida spiritu
sensum corporis hauserat.
Nunc nobis solito more rogandus est,
iratum ut merito conciliet Deum ;
et quos mirifici roboris instruit
exemplo, precibus juvet.

## IN DIE ASSUMPTIONIS B. MARIAE.

P1_30
Regnatur superum quo nitidam die
Matrem sidereis arcibus intulit,
et supra Angelicos conspicuam choros,
stellanti statuit throno,
quae caelo fuerint jubila, qui sonus,
quae sanctis animis gaudia, non modo
humanis nequeat vocibus exprimi,
sed nec pectore concipi.
Illa est arca novi conscia foederis,
conclusus, Domini deliciae, hortulus,
rastro intactus ager, sidere pulchrior
et sponsa et genitrix Dei.
Felix quisquis eam suppliciter colit,
rebusque in dubiis sedulus invocat.
Numquam, hoc qui statuit praesidium sibi,
spe lusus doluit sua.

## IN FESTO SANCTI HADRIANI.

P1_31
Christi in militiam nomina ne darent,
multos impediit supplicii metus,
multos, qui dederant, vis cruciatuum
illam deserere impulit.
Non sic ille, hodie quem colimus, fuit,
qui nomen tumido duxit ab Hadria :
quin constantem animum Christicolum videns,
horum se ad numerum appulit,
prudenter reputans, non sine numine
tales cuncta viros aspera perpeti,
nec se illos temere sponte sua ratus
poenis objicere omnibus.
Ergo his se agglomerans credidit, et simul
index ipse sui supplicium appetens,
quae mente imbiberat, mox eadem suo
sanxit dogmata sanguine.

## IN DIE S. MICHAELIS.

P1_32
Caelestis canimus militiae ducem,
qui perjura bonus dissipat agmina

et dejecta locis non sibi debitis
sedes trudit ad inferas.
Horrendo imbiberat pectore septiceps
bis quinisque ferox bellua cornibus.
Intacta sobolem virginis unicam
saevis mandere dentibus.
Aeterni imperio sed Michael Patris
conatus Satanae reddidit irritos,
et monstrum innumeris fraudibus obsitum
victor stravit humi potens.
Idem deposito pondere corporis
ex fortes animas criminis excipit,
in caelumque alacres tollit et in loco
lucis perpetuae locat.

## COMMUNE B. VIRGINIS.

P1_33

O solis nitido lumine pulchrior
Virgo, constituit quam Deus unicam
expertem maculis omnibus, ut foret
nato digna parens suo,
te quondam Gedeon vellere in uvido,
intactaque novis imbribus area ;
te cincto innocuis legifer ignibus
agnorat prius in rubo.
Rebus principium qui dedit omnibus
a te, dum se hominum causa hominem facit,
sumpsit principium, quique alit omnia,
pastus lacte tuo est puer.
Per te quod mulier perdiderat vetus,
humano generi redditur auctius.
Tu clausas miseris heu nimium diu
caeli prima aperis fores.

## COMMUNE ANGELORUM.

P1_34

Mentes beatae, lumine
quas ambit aeterno Pater,
sacroque lustrans Spiritu,
in se intuentes perficit.
O queis supremus omnium
primis creator insidet,
quos luce complet aurea
amoris ac scientiae,
o qui potentis dexterae
virtute cuncta vincitis,
Dei regentis omnia
fortissimi satellites !
O ter beati principes
Archangelique et Angeli,
nos rite vobis supplices
hinc in superna tollite.
Aeterne cunctorum Pater.

## COMMUNE UNIUS CONFESSORIS PONTIFICIS.

P1_35

Pastor beate, qui tuae
concreditum curae gregem
saevis luporum faucibus
patere numquam pastus es.
Tu laeta dux ad pascua,
fontes recludens limpidos,
oves videbas florido
semper nitentes vellere.
Quod si quae forsan tabido
languere morbo coeperat,
salubria, ut mitis pater
illi admovebas pharmaca.
Cujus laboris nunc tui
digna assecutus praemia,
favore, nam potes , tuo,
qui te precantur, adjuva.
Aeterne cunctorum Pater.

## COMMUNE UNIUS VIRGINIS.

P1_36

O Virgo pectus cui sacrum,
amoris expers improbi,
divini amoris Lampade
sanctus perussit Spiritus.
Non te voluptas dulcibus
fallax venenis molliit,
solas amantem persequi
caelestis agni nuptias.
Sic ille natus virgine
suo decore ceperat,
amore ut ardens illius
mundana cuncta temneres.
Beata, cui caelestibus
templis receptae nunc licet
inter canentes Angelos
tuis potiri amoribus.
Aeterne cunctorum Pater.

## IN FESTO AMBROSII.

P1_37

Qualis periclitantibus,
totoque jactatis mari
tranquillitatis nuntia
se stella nautis objicit,
talem, procellis Arii
Ecclesiam turbantibus,
qui lumen orbi redderet,
elegit Ambrosium Deus.
Nondum renatus flumine,
sed jam renatus flamine,
concordibus suffragiis

episcopus delectus est ;
ut ex ministro Caesaris
minister effectus Dei,
humana linquens ceteris,
divina jura panderet.
Non alligatur tempore
divina certe gratia,
sed dum libet quidquid libet,
puncto vel uno perficit.
Hunc ipse Caesar horruit,
contra nec ausus hiscere est,
caedes ob admissas sacrae
exclusus aedis limine.
Magnam suis fiduciam
benignus inspirat Deus ;
semperque pastoris boni
multum potest auctoritas,
salve, bonarum maxima
episcoporum gloria !
Plebemque devotam tibi
caelo receptus adjuva.
Aeterne cunctorum Pater.

## AD BEATISSIMAM VIRGINEM DEI MATREM, QUAE RELIGIOSISSIME COLITUR IN AEDE LAURETANA.

P1_38
Unde mihi insolitus praecordia concutit horror,
et perfusa metu trepidat, velut icta Deo , mens ?
Fallor : an hoc facit ipse locus, stimulosque paventi
subjicit, atque animum praesentia numinis urget ?
O caelo dilecta domus, postesque beati,
quos ego jam pridem tota mihi mente cupitos,
nunc primum veteris voti reus, advena viso :
Salvete, aspectique mihi feliciter este !
Vosne per aetherias Judaeae a finibus oras
aligerum, mandante Deo, vexere manipli ?
Hic virgo genitura Deum genitricis ab alvo
prodiit, et blandis mulsit vagitibus auras ;
hic quoque, virginei servata laude pudoris,
sancta salutifero, tumuerunt viscera fetu ?
Ille opifex cunctorum, illa aeterna unica proles
aequa Patri, ille homini primaeva ab origine lapso
spem caelo vitamque ferens, hac lusit in aula
parvulus, et sanctae blanda obtulit oscula matri ?
Quaenam igitur regum sedes, quae templa per orbem
huic se ausint conferre loco ? Ter et amplius omnes
ante alias felix Piceni littoris ora,
cui Solymos spectare domi, cui munere divum
fas calcare domi est pedibus vestigia Christi.
En ego jam supplex procumbam, atque oscula figam
parietibus sanctis, spargamque hoc pulvere crines.
Adspice me superis e sedibus, adspice, virgo
prostratum, atque imo gemitus ex corde cientem,
et pectus tundentem et fletibus ora rigantem ;
neu, quamquam culpis adopertum turpibus, arce

adspectu me diva tuo ; si pectore toto
te veneror, si te, dubiis in rebus, ad unam
confugio, teque auxilium sanctissima posco.
Paenitet, ex animo vitae me Diva prioris
paenitet, et meritas horret mens conscia poenas.
Quod nisi tu casto pendentem ex ubere natum
concilias, placasque mihi, quo tendere cursum,
quove malis fessam tentabo advertere puppim ?
At tu, namque soles, placida dignare querelas
aure meas, et ades lapsis mitissima rebus.
Certe equidem tota pendentes aede tabellas
adspicio, quae te miseris praesto esse loquuntur.
Hic, te animo spectans, torrentem viscera febrim
depulit ; ille Hyadas tristes, haedumque cadentem
spectavit tutus, vertentibus aequora ventis,
et duce te patrias enavit salvus ad oras ;
criminis ille reus falsi, sub judice duro,
dum mortem exspectat tenebroso carcere clausus.
Munere Diva tuo detecta fraude, revisit
uxorem et natos, exoptatumque parentem.
O ego nunc morbis multo gravioribus aeger,
naufragiumque timens longe exitiosius illo,
et jampridem animum peccati compede vinctus,
si possim morbis liber, vinclisque solutus,
fluctibus et ventis laceram subducere puppim :
quas tibi laetus agam grates, dum vita manebit ?
Te, cum luce nova sparget sol aureus orbem,
te recinam, quoties abscondet opaca polum nox,
et tua praecipuo venerabor numina cultu.

## IN D. BARBARAM.

P1_39

Barbara, qui laudes speret se aequare canendo
posse tuas, idem pulsantes littora fluctus
et Libycas numero comprendere tentet arenas.
Te pater insanus turri concluserat alta,
sed veram Danaen verus te Jupiter illic
despondit sibi Christus et arto foedere junxit.
Illo et tu triplices fieri inspirante fenestras
mandasti, et niveo sculpsisti in marmore signum ;
quo reparata salus, et deficiente ministro
ipsa tuos mersisti undis lustralibus artus.
Quid memorem, ut tibi mons fugienti cesserit, aut quae
ceperit indicii vesanus praemia pastor,
qui dum miratur pecudes in marmora versas,
ipse suum pariter sensit lapidescere corpus.
Non tu carnifices, non tu tormenta timebas,
non gladios, animosa et Christo plena virago,
qui te ad caelestem meritis pro talibus aulam
evexit regnique libens in parte locavit.
At tu Diva graves hominum miserata labores,
pacem illis veniamque ora, et nocitura repelle.
Praecipue antiquo prognatum ex sanguine regum
Gonzagam, felix quo se duce Mantua jactat,
qui virides Mincii ad ripas tibi Diva sacravit

templum augustum ingens, cura quod et ipse tuetur
pervigili, et flammam late spargentibus aris
saepe manu propria meritos imponit honores,
hunc tu, Diva, tuo protectum numine sancto
conserva, populumque simul, qui sacra, secutus
principis exemplum, puro tua corde frequentat.

## DE S. ANDREA APOSTOLO.

P1_40 Dic mihi Musa virum, Geticas qui primus in oras
intulit aeternae fulgentia signa salutis,
mox se regna ferens alacris per Achaica victor,
dum parat usque novos antiquo ex hoste triumphos,
sacravit veteres generose sanguine Patres.
Tu modo tot, saevis quo tempestatibus actae.
Se tamen, ut possunt solantur praesule Senae,
huc adhibe Francisce animum, mecumque revolve
egregii Andreae laudes dignataque caelo,
facta libens. Aram tu illi statuamque dicasti,
quae Vaticana insignis spectatur in aede :
nos dabimus vena ductos e paupere versus.
Quod poterit, det quisque, est et sua gratia parvis.
Sustulerat caelo victor se Christus opimis
insignis spoliis, princeps Acherunte recluso,
clara triumphatae referens insignia mortis,
lustrataque suos sancta cum matre sodales
munere linguarum et promissi flaminis aura.
Conveniunt paucis post illa expleta diebus
magnanimi herois, Petro indicente senatum,
tum monstrante Deo, quae sit provincia cuique
demandanda, agitant, sacri quam semine verbi
conserat, atque viam populis praepandat Olympo,
et sparso intrepidus testetur sanguine Christum.
Ergo alias alii : Thraciam, Illyricumque , Getasque
perpetuis nivibus glacieque informia regna,
suscipit Andreas, quamquam illi plurima frontem
ruga erat, et seros canum caput indicat annos.
Sed stimulat, viresque suas amor ipse ministrat.
"Vade", ait, et lacrimis vultum illiusque suumque
irrorat Petrus, "Vade, o carissime, qui me
duxisti ad Christum primus germane , meique
vive memor, memor usque tui vivam ipse vicissim.
Qui tibi causa viae est, idem tua coepta secundet."
Ingeminant eadem haec alii, fletuque madentes
amplexi inter se, felicia cuncta precantur.
It senior Christumque unum, quacumque gradum fert,
praedicat : hunc unum cunctis in vota vocandum,
exitio mentita suis cultoribus esse
numina : ab uno hominum Christo pendere salutem.
Irrident alii, motaque haec mente putantes
delirare senem, sputo saxisque sequuntur ;
sunt etiam qui vincla parant, poenasque minentur
turbanti veterum cultus et sacra Deorum ;
sunt tamen, et quorum tetigit praecordia Christus,
qui veterum foeda errorum caligine pulsa,

attentas monitis praebent caelestibus aures.
Ille fidei primum, sine qua nil cetera prosunt,
summa docet capita et sancto connectit amore.
Tam justos sperare, salubribus abluit undis ;
imponitque manus, et sancto flamine firmat.
Accedunt exemplo alii et socia agmina jungunt ;
sic quondam latis Cerealia semina campis
cum spargit plenaque manu diffundit arator,
pars cadit in cautes succoque carentia saxa ;
pars leviter terrae nullis radicibus haeret,
atque illam volucres rostris populantur acutis ;
pars etiam in sulcos, atque ipsa in viscera fertur
telluris, gremioque illic concepta tenaci
fruge nova dominos opulentat, et horrea complet.
Odrysios tandem in fines adoperta pruinis
arva, bipennifero quondam regnata Lycurgo,
pervenit, et torvae purissima pectora gentis
insoliti tamen eloquii dulcedine mulcet.
Conveniunt flavique Getae, pictique Geloni,
quosque imposta vagis agitat domus annua plaustris,
cornipedisque sui solitus potare cruorem
Sarmata, quasque alias sinuosa nominis Istri
ripa vehit gentes, rigidis corda obsita setis,
paulatimque truces animos, eduraque ponunt
corda volente Deo, et moniti meliora capessunt.
Editus his ipsis olim regionibus Orpheus
creditus est cantu liquido, fidibusque sonoris
et rabiem dempsisse feris, et sistere jussis
fluminibus silvas post se traxisse sequentes.
Verior hic Orpheus, homines qui vivere rapto
assuetos solisque sibi jus ponere in armis,
quosdam etiam caesis, feritas horrenda relatu,
hospitibus vesci, et sectos in grandia frustra
aut torrere veru, aut molire tepentibus undis,
taliaque obscaenis imponere fercula mensis,
impulerit fando ritus abolere nefandos,
et prius effera colla jugo submittere Christi.
Jamque Borysthenios fluctus nitidumque Dyrapsen,
quique Europaeis Asiam disterminat arvis
multifidum Tanain, teque o saxose Cynapos,
quaeque alia ex alta spectat piger arce Bootes,
plurima nunc ratibus, nunc pervia flumina plaustris.
Illa sacrum Christi pervaserat omnia nomen ;
unum omnes Christum ripae, unumque antra sonabant.
Cum senior : "Sat jam his, inquit, regionibus actum.
Perficiet, quod deest, qui perficit omnia, Christus.
Quaeramus nova regna, odit victoria segnes."
Substitit haec fatus paulum ; dein lumina caelo
attollens : "Sequor ecce, sequor quacumque vocaris,
tu modo praesenti mentem mihi numine firma."
Sic fatur, gressumque ad Achaica dirigit arva,
multa movens animo, sanctus comitatur euntem
spiritus, et robur fessis senio artubus addit.

RELIQUA DESIDERANTUR.

P1_41 v.1 Mente Deum pura quisquis veneratur amatque,
2 vis illi exterior nulla nocere potest.
3 Non si illum obsideant hostiles undique turmae,
4 quas sitis innocui sanguinis exagitet.
5 Non toto coeat si quidquid in orbe ferarum est,
6 et quot in Oceani gurgite monstra natant.
7 Ille, licet tristes agitent maria alta procellae,
8 undarum in medio vertice tutus erit.
9 Ille interque feras atque agmina saeva latronum,
10 noctu etiam in medio tutus erit nemore.
11 Non quaecumque truces adhibent tormenta tyranni,
12 illius umquam animum terrificare queant.
13 Pix, rota, robur, equus, candentis lamina ferri,
14 omnia pro Christi nomine ludus erunt.
15 Felices, quorum ille imis amor ossibus haesit.
16 Quanta illos obita praemia morte manent ?
17 O si me quondam numero Deus aggreget illi !
18 Quae tunc sors melior forte futura mea est ?
19 Ah, Christe, ure meum tandem face pectus amica,
20 eque pigro invisum discute corde gelu !
21 Ut nec avarus opes secter, neque vanus honores,
22 sed flagrem solo totus amore tui.

## AD GREGORIUM XIII. PONT. MAX.

P1_42 v.1 Qui tibi ab Eoo repetitas littore conchas,
2 divitis aut auri pondera multa ferat,
3 illum ego scire negem, quae tu, pater optime, dona
4 longe auro et gemmis anteferenda putes.
5 Una tibi virtus, virtus in amoribus una est,
6 verae et virtutis gloria vera comes.
7 Ergo ut amans tabulis dominae reserentibus ora
8 gaudet et ante oculos semper habere cupit ;
9 sic te expressa juvat verae virtutis imago,
10 nec tabula est oculis gratior ulla tuis.
11 Tale igitur munus tibi nunc Picolominus offert,
12 Senensis praesul gloria prima soli ;
13 bisseno Aeneae conclusa volumine facta
14 Pontificis vere nomine reque pii.
15 Qui virtute olim sedem provectus ad istam,
16 ad quam eadem virtus te, Pater alme, tulit.
17 Ingentes toto compescuit orbe tumultus,
18 et placido reges foedere composuit,
19 hortatus bellum Christi convertere in hostes ;
20 atque Asiam illorum faucibus eripere.
21 Ad quae se accingens magno molimine coepta,
22 multa bonis frustra flentibus, occubuit :
23 forsan et hanc Christus, princeps ter maxime, laudem
24 servatam in tempus distulit usque tuum,
25 Thracius ut tandem posita feritate tyrannus
26 colla tuis ultro subjiciat pedibus.
27 O ita sit, cumuletque tuas haec gloria laudes,
28 Gregorii hic titulis adjiciatur honos !

Interea haec placido vultu cape munera, eique,
   qui tibi summissus porrigit illa, fave.
Ille Pii, ut nosti, genus alto a sanguine ducit ;
   nec vixit priscis inficiandus avis,
plurima sed tractans et maxima munera, semper
   culpis expertem se omnibus exhibuit.
Nunc exacta aetate illud sibi postulat unum,
   ut se haud ingratum sentiat esse tibi.

## AD DOMINUM ZAMOSCIUM POLON. CANCEL.

P1_43
Bina mihi artifici caelata numismata dextra
magnus ab Arctoo misit Zamoscius orbe
aurea, non vani memorabile pignus amoris.
Saepe meo optatos animo referentia vultus,
magnanimi primum regis, quo Martia gaudet,
quoque caput caelo ductore Polonia tollit.
Aspicis, ut late veneranda coruscat imago.
Cunctaque diffuso circum loca lumine complet ?
Non ea vis auro, nec per se lamina lucet.
Nec radiat rutili nativa luce metalli :
majus ab impressa sed ducit imagine fulgur,
atque ipsum Stephani sacer aurum vultus inaurat.
Contemplare acresque oculos frontemque verendam,
et dignam imperio faciem, dignamque triumphis,
ut sese omni ex parte animi vis vivida profert,
degenerem luxum mollesque exosa paratus,
ut spiras generosum, ipsoque videtur in auro
regales agitare imo sub pectore curas,
exitium Turcis, meditari et vincula Moscho !
Hic vir, hic est natus virtuti et fortibus ausis,
cui duo tota pares alios si Europa tulisset,
Thracius haud ultra nobis illuderet hostis,
sed profugus toto latebras sibi quaereret orbe.
Altera lamna loco pariter mihi grata secundo,
subjicit ante oculos auctorem muneris ipsum,
cujus conveniens meritis imponere nomen
qui velit, invicti regis vocitarit Achaten.
Hinc te igitur, tua mi propius quando ora tueri
non licuit, cupidumque isthaec invisere Regna,
Pontificis tenuit non detrectanda potestas,
Zamosci magne, adspiciam et persaepe nitenti
in te defixam solabor imagine mentem.
Zamosci, per quem Marti sociatus Apollo est,
qui decora heroum accumulans et Nestora dulci
eloquio exaequas, et forti pectore Achillem,
et leges armis firmans, et legibus arma,
victricem laurum pacatae intexis olivae,
arbiter idem almae pacis, bellique minister
impavidus, laus egregii propria utraque civis.
Salvete o animae fortes, incoctaque honesto
pectora, et ignavo non pervia corda timori !
Vos ego, quantum aevi dabitur, super ardua cantu
astra feram, numquam reticens vestra inclyta facta
facta aliis, queis nomen idem, sed non eadem est mens,

aut animos factura, aut incussura pudorem.

## AD ANT. MONTECATINUM.

P1_44 Tandem querelis pone modum tuis,
et fata maestis invida vocibus
clamare, crudelesque Divos,
cum gemitu lacrimisque, parce.
Nam, quid Lycei juverit avios
lustrasse saltus, fontibus ac sitim
ex vulgo inaccessis levasse,
ingenioque adiisse Divos,
si mentis istud praesidium tuae
perrumpit, et sese intus agit dolor,
imisque fervens in medullis,
te quasi perdomito triumphat ?
Magnam doloris fata quidem tibi
causam obtulerunt, qui tibi cognitum
longoque carum usu sodalem
Hannibalem ante diem abstulerunt.
Qui quamquam avitis sat titulis domi
forisque clarus, non tamen id sibi
satis fore ornando putavit,
ni proprios etiam ipsi honores
labore magno quaereret impiger,
comamque lauro duplice necteret,
et qua ferox Gradivus, et qua
pulcher Apollo suos coronat.
Heu quis Deorum mentibus addidit
famae illam honestis immodicam sitim ?
Quam saepe multis illa tristem
funeris acceleravit horam ?
Sed quorsum inanes jam querimoniae ?
Ille ipse, quem urges questibus, Hannibal,
felix, et insertus Deorum
concilio, mala nostra ridet.

## AD P. FULVIUM CARDULUM.

P1_45 Saepe transactos mea mens per annos
it retro, et vitae relegit prioris,
qua potest, cursum, veteres revolvens
ordine culpas ;
quid puer, quid dein juvenis, quid autem
temporis jam vir male collocarim,
dulcibus dum me furiat venenis
dira voluptas.
Quas mihi imprudens maculas inussi ?
Quo modo, ab demens ! Animum inquinavi,
quem salutaris nitidum lavacri
fecerat unda ?
Corporis nec pars vacat ulla probro :
os, manus, aures, oculique turpe
heu jugum infamis dominae tot olim

lustra tulerunt.
Paululum hoc saltem fugientis aevi,
viribus cassae reliquum senectae,
quantulum Christus superesse vult mi,
vindicet ipse.
Ipse me pridem Veneris perustum
improbae flammis rapiat, novoque
flaminis sancti jecur et medullas
igne pererret.
Tu tui instilla mihi, Christe, amorem,
unicum mens te mea concupiscat,
te nihil praeter sibi persequendum
judicet umquam !
Nil opes, nil me capiant honores,
exulet luxus simul et libido,
vana delusae procul hinc facessant
gaudia mentis !
Quique florenti male sanus aevo
nil nisi obscaenum, piget heu, canebam,
nunc tuum tantum repetam senili
carmine nomen.
Tu quoque hunc votis precibusque Fulvi
adjuva ardorem, quotiesque sumis
mysticum Christi trepidus nitentem
corpus ad aram ;
mente tunc tecum memori volutans
trade me Christo ! Mea vota nam si
negligat, certe tibi nil petenti
tale negabit.
Hoc idem cari mihi praestet oro
cura Maffaei, et mea dicta quondam
qui nimis forsan cupida bibebat
Bentius aure.
Bentius, quem rectum iter evagantem,
et parum cauta calidum juventa,
contigit virga Deus, in suumque
duxit ovile.
Nunc ubi expletus meliore mentem
pabulo, currit per iter salutis,
heu procul segnem sua post reliquens
terga magistrum.

## P. FRANCISCO BENTIO.

P1_46A
Benti, nihil me, sicut antea, juvat
pervigili studio nil profutura quaerere ;
nec quas per urbes cautus, exciso Ilio,
saxa Ithacae repetens, Laertis errarit puer ;
nec quod Ithacenses pharmacis Circe potens,
vultu hominum posito, grunnire porcos jusserit.
Curae magis mi est, lustra jam decem miser
qualibus in vitiis defixus ipse erraverim,
cum me, Dei vix jam manente imagine,
mortifera induerat foedum voluptas in suem.
Quis me sequetur fructus, ubi pernovero,

quot mala Grajugenis Achillis ira invexerit,
si nesciam vesanus, in quae me mala
praecipitem ira Dei, nisi resipiscam, actura sit ?
Hei mi laboris, heu dierum ac noctium,
quas memini in studiis me talibus consumere,
male metuentem, ne quis usquam aequalium
certius ac melius plures teneret fabulas.
Et tamen ab aequis non gravate improvida
judicibus veniam fortassis aetas impetret.
Sed nunc columbis concolor cum sim caput,
et mihi sarcinulas brevi legendas sentiam,
nisi meliora mente tota cogitem,
bis puerum merito, Francisce, me vocaveris.
Beatus ille, quem juventae in limine
abstrahit a vitiis ipse et sibi adstringit Deus.
Nec tamen habendus ille in felicibus,
ad meliora, Deo vocante, qui venit senex,
verum est poetae nobilis verbum vetus,
si bene quid facias, sero licet, prodest tamen,
communi uterque gratias agat patri,
sors tibi prima data est, mihi secunda contigit.

MURETO FRANCISCUS BENTIUS. RESPONDET CARMINI PRAECEDENTI.

P1_46B

Murete, me nunc, sicut antea, juvat
quae mihi, qaeque aliis das, profutura carmina,
expressa sancti Spiritus molimine,
his avidis oculis et tale quaeritantibus
et lectitare et lectitando ediscere.
Labitur inde mihi furtim humor udas in genas,
palam arguens quae peflus intrant gaudia,
pectoris exigui majora claustris gaudia,
conversa studio quando utriusque refricas.
(Grata utriusque Deo et mortalibus conversio)
nam uterque nigro noctis e silentio
coepimus aspicere Christi benigna lumina.
Uterque noctis tum relictis artibus,
depositis tenebris e arma lucis induit.
De te sed ipse multa deploras, modis
flebilibus lachrimans, et ad gemendum me vocas.
Eheu dolor, quid ulcus antiquum novas ?
Jam memini, miser, heu, quod paenitet, piger, pudet.
Cum vilis ancillae expavescens voculas
immemor officii Christum negavi saepius.
Gallo at canente, cum me amico lumine
intuitus Deus est, prior mihi tunc mens redit.
Ad me ipse tandem triste post tempus redii,
exsiliensque foras, laxavi habenas fletui,
abstersit inde lacrimas Christus meas,
speque data veniae perduxit in gregem suum.
Eduxit idem, quod fateris improbae
servitio dominae, et vindicavit te sibi.
Quid restat ergo ? Hortetur alter alterum.
Nunc si aliquis gravior fortasse se offeret labor,
feramus hunc, Murete, mente qua decet,

32 atque ducem Dominum forti sequamur pectore,
33 quod si una utrumque ad vineam hora non vocat,
34 unus utrique tamen promittitur denarius.

### AD CLAUDIUM QUEMDAM.

P1_47 v.1 Quidquid agam, Claudi, seu quo me vertere tentem,
2 seu nihil, ut soleo desidiosus, agam,
3 ante oculos tua mi assidue obversatur imago,
4 unaque tristitiam gignit et una levat.
5 Angor enim infelix, quod te, (quo sospite solum
6 esse velim sospes, et moriente mori.)
7 Nunc, ubi sis, quid agas, veterem tibi cura medentum,
8 an nondum, morbum pectore depulerit,
9 nec scio, nec jam scire ulla ratione potis sum,
10 quae me res angore unica paene necat.
11 At rursus nihil est, quo me ipse tempore soler,
12 quodque oculos tristi tergeat imbre graves,
13 te nisi cum vana sibi mens sub imagine fingit,
14 seu vigilem, dulci sive sopore premar.
15 Hoc mihi Nepenthes curas dissolvere promptum est ;
16 luctibus haec una est apta medela meis.
17 Tecum ego nunc videor teneros percurrere versus,
18 sive Catulle tuos, sive Tibulle tuos ;
19 nunc etiam rerum causas tentare latentes,
20 discere et unde fluant omnia, quoque fluant.
21 Nunc herba in viridi, latae porrectus ad umbram
22 arboris, et rivum molle strepentis aquae,
23 aurasque et dulces avium captare susurros,
24 perque vices tecum multa jocosa loqui.
25 Gratia DIs, qui mentem homini celeremque dederunt,
26 et quaevis habilem fingere spectra sibi.
27 Illa et plumipedem superarit Persea cursu,
28 et celebrem invicti Bellerophontis equum.
29 Nec mihi, se cujus rerum natura creatrix
30 expressam in tabulis cernit, ut in speculo,
31 tam bene te docto Titianus pollice pingat,
32 quam mens te assidue pingere prompta mea est.
33 Atque utinam tibi sit de nobis mutua cura,
34 nec quin sit, dubito, sed tamen esse precor.
35 Non ego vulgari te, Claudi, amplector amore,
36 (hac face rara Deus tangere corda solet)
37 me me ipse odissem, nisi tu me gratus amares,
38 nec nisi me, quoniam sum tibi carus, amo,
39 denique cum fuero nulli credenda locutus,
40 pars tamen illa mei parvula amoris erit.
41 Dii faciant, longos producere detur in annos,
42 a pueris coeptae foedus amicitiae !

### RAPHAELIS URBINATIS PICTORIS EXIMII TUMULUS. IPSE LOQUITUR.

P1_48 v.1 Sic mea naturam manus est imitata, videri
2 posset ut ipsa meas esse imitata manus.
3 Saepe meis tabulis ipsa est delusa, suumque

credidit esse, meae quod fuit artis opus.
Miraris, dubitasque ? Audito nomine credes.
Sum Raphael, hei mi, quid loquor ? Immo fui.
Et tamen, his dictis quid opus fuit addere nomen ?
Alterutrum poterat cuilibet esse satis.
Nam mea et audito est notissima nomine virtus,
et praestare vicem nominis ipsa potest.

AD PETRUM GERARDIUM.

P1_49

O delicati blanda ruris otia,
curis et ambitu procul !
O dulce murmur limpidorum fontium !
O grata nemorum opacitas !
O sibilantes arborum ingentum comae !
O prata vere gemmea !
O solitudo amica cogitantibus !
O horror, o silentium !
Cui nunc canoro gutture obstrepunt aves,
nunc canna pastoris vagi ?
Seu mane oves in laeta ducit pascua,
seu vespere reducit domum.
O mensa nec luxu affluens, nec sordida
dapibus parata rusticis.
Quas non heri languentem ut irritet gulam,
doctus saporavit coquus ;
sed filiis juvenibus et seni viro
severa coxit villica.
O bibliotheca nota paucis, o libri,
quos rara contrectat manus.
O cella tantum lectuli unius capax.
O somne liber, et levis.
O ad beatam tuta vitam semita,
ignota vulgi sensibus.
Ut vos requiro, ut mente vos tota expeto,
alia perosus omnia,
ut laetus ad vos tendit, et gazis libens
vos anteponit Persicis,
quicumque puro pectus Olmeo lavit,
frondemque mordet Delphicam.
Quid tu, Gerarde, cui profanis invios
adire fontes contigit,
paresne easdem sequeris, an siti mala
opum aut perustus gloria,
amoenitati ruris et dulci otio
vitam ante ponis aulicam ?
O per Lycaei cognitos paucis specus
quos saepe lustrati puer,
ne sperne amicus consilI quod dat senex,
quodque sibi, sed fero, capit,
A litterato te otio avocantibus
occludito aures, et fuge
canora monstra ut auribus cera oblitis
Laertis effugit puer.
Beata vita non metallo aut Indici

spoliis paratur aequoris.
Animo appetenti pauca, quod sat est, sat est,
avido atque inexpleto, nihil.
Cum tibi sit, unde liber, et plane tuus
vitam quiete transigas,
quis heu furor te, quis, rogo, impellit furor,
vincla ultro ut induas tibi
et more pulchrum vivere alieno putes,
nutus timentem divitis ?
Age rumpe nexus, et jugum collo excute,
vindexque et assertor tui,
aude esse felix, et procul cuncta amovens,
quae mentem humo adfixam tenent,
per liquida puri spatia decurre aetheris,
aeterna tantum cogitans.
Et ista sortis lubricae ludibria
miranda vulgo desere.
Utinam mihi olim, flore cum primo rudes
juventa opacaret genas,
amicus aliquis ista monstrasset senex,
quae nunc tibi ipse cantito :
non ego perisse lustra tot in aula mihi
vanis dolerem questibus.

## TIBUR.

(DE CARMINE HOC LEGE MURETUM IPSUM LIB. III EPIST. 20, QUAE EST AD PAULUM SACRATUM.)

P1_50
Quicumque Herculei spectabit Tiburis arces,
qua pater Hippolytus, sacri pars magna senatus
cura Deum, loca perpetuo prius aspera faxo
molliit, et leni jussit mitescere clivo ;
omnia deprendet longe superantia famam,
nec tam regifico constructa palatia sumptu,
auroque illusas aedes, radiataque tecta,
quam semper virides mecum admirabitur hortos,
et gelidos fontes, et aquam in sublime volantem,
seque in multiplices vertentem, ut Protea, formas.
Praecipue tamen illi animum novitate movebit
excisus, res mira, silex, rupesque cavatae,
et via facta manu longi per viscera montis,
qua se Anio pater insueto pervolveret alvo.
Qui longum per iter tenebroso tramite lapsus,
exit, et arboribus gelidae non invidet undae.
Stant habiles propter Nymphae, lymphasque paratis.
Exceptas urnis in vasa capacia fundunt.
Parte alia ipse suis altricibus adstat Iacchus,
maternique memor casus, flammaeque paternae,
gaudet aquis, illisque libens sua munera miscet.
Dum stupeo, tam multa videns miracula rerum,
ecce novusprocul alituum concentus ad aures
fertur, et insolita mentem dulcedine tangit.
Adspicio, et gressum propius fero ; corpora cerno
parva ex aere avium, aeratis nitentia ramis,

Daedala queis variam tribuit solertia vocem.
Quamcumque adspicias, delusus imagine veram
esse putes volucrem, nisi quod non evolat usquam,
sed ramis affixa suis cantu aethera mulcet.
At verae mirantur aves, et cedere dum se
turpe putant, liquidis late omnia questibus implent.
Hic Lucae egregius labor est, quem Sequana partu
ediderat, Siculi renovantem inventa magistri.
Quid ? Quem non moveat cygnum mentitus adulter,
illudens simili spirantem a marmore Ledam,
deliciisque suis, et aquarum murmure laetus ?
Multaque praeterea veterum simulacra deorum,
artis opus priscae. Cunctos verum arduus inter
eminet Alcides, qui spectant omnia circum
Hesperidum veteres hortos prae Tibure temnit.
Sed quid ego haec versu nequidquam includere tento ?
Jam pridem exiguum praescripti carminis orbem
excessi, et dictis semper majora supersunt,

## IDEM

P1_51
Deliciae veterum Tibur volventibus annis
   conciderat, priscum perdideratque decus,
et nusquam rivi, nusquam pomaria, nusquam
   ulla super tanti signa decoris erant.
Illa loca antiquis toties celebrata poetis
   horrebant turpi squalida facta situ :
maerebant erepta sibi sua gaudia Nymphae,
   languentes Anio maestus agebat aquas.
Omnia tempus edax ita deformarat, ut hospes
   quaereret in medio Tibure ; Tibur ubi est ?
Non tulit hanc speciem divini pectoris heros
   Hippolytus, sacri gloria magna chori.
Ille loco senium abstersit, vultusque priores
   reddidit, et solito jussit honore frui.
Illius imperio jussae revirescere silvae
   coeperunt sparsis luxuriare comis.
Ille novos passim fontes emergere jussit.
   Nec mora fit : fontes prosiluere novi,
quos circum statuit priscis egesta ruinis
   plurima Phidiaca signa polita manu.
Ipse Anio fontem pallenti cinctus oliva
   affluit, et proprias consociavit opes.
Jure igitur sontesque sacri, silvaeque virentes
   certatim Hippolyti nomen ad astra ferunt,
et quoties molli increpuit levis aura susurro,
   Hippolytum alternis vocibus ingeminant,

## DEDICATIO HORTORUM TIBURTINORUM.

P1_52
Nec labor Alciden fregit, nec blanda voluptas
   umquam animum casti molliit Hippolyti.
Ambarum hos hortos virtutum accensus amore,
   Herculi et Hippolyto dedicat Hippolytus.

## IDEM.

P1_53 Aurea sopito rapuit quae mala Dracone
Alcides, eadem nunc tenet Hippolytus.
Qui memor accepti, quos hic conseverat hortos,
auctori voluit muneris esse sacros.

## BACCHUS FONTI IMPOSITUS.

P1_54 Nondum natus eram, cum me prope perdidit ignis.
Ex illo fontes tempore Bacchus amo.

## IDEM EX AVERSO RESPICIENS FONTEM NUMPHARUM.

P1_55 Qui colitis Bacchum, comites simul addite Nymphas,
nam sine ope illarum munera nostra nocent.

## IN TABULAM TANTALI.

P1_56 Si quando admittant sua te ad secreta potentes,
quisquis es exemplo disce tacere meo.

## IN TABULAM JASONIS NAVIGANTIS, ET HERCULIS RAPTUM HYLAM QUAERENTIS.

P1_57 Viribus auferres, quod fraude parabis Iason,
eripit Alciden sed tibi raptus Hylas.

## PROLOGUS IN PHORMIONEM TERENTII.

### CUM EAM ALIQUOT NOBILES ADOLESCENTULI, HIPPOLYTI CARDINALIS FERRARIENSIS JUSSU, ACTURI ESSENT.

P1_58 Etsi scio esse hic neminem, qui nesciat,
quid apparatus noster hic velit sibi,
tamen mearum partium esse existimo,
interea dum se mei sodales comparant,
bona cum venia vestra, pauca dicere,
quae scire vos, et vestra, et ipsorum interest.
Comoediam Terentii acturi sumus,
cui Phormioni nomen ipsus indidit,
quod Parasitus in ea Phormio primas agit.
Neque hoc videri debet aut mirum, aut novum,
quandoquidem in omni vita, nedum in fabulis,
parasiti, scurrae, sycophantae, omne id genus,
bonis repulsis, ipsi jam primas agunt.
Quod si quis est, parum decorum qui putet,
juvenes ingenuos personatos conspici, in
scaenam prodire, et quasi facere histrioniam,

is sibi responsum hoc habeat, nulla re magis
dijudicari omnia quae mortales agunt,
quam fine, quem is, qui quid agit, proponit sibi.
Qui scaenicam artem victus causa factitant,
et, ut coquis ac laniis risum excitent,
distorquent ora, insulsa dicta dictitant,
contundunt pugnis se invicem, atque horum omnium
a plebe viles exigunt mercedulas,
merito histrionum nomen et famam ferunt.
Nil simile nostrum est. Nos, ut nostram industriam
vobis probemus omnibus, ut communi hebro
hilaremus animum, cui debemus omnia
unum id petentes, hunc laborem cepimus.
Quamquam ! O supremi caelites, quem jam omnium
pudere debet personatum conspici,
cum id omnis aetas, omnis ordo factitet ?
Sed nolo nunc ulcera cujusquam tangere ;
ne quis saturam esse hanc dicat, non comoediam.
Nunc unum a vobis priusquam hinc abeam postulo
si vos, quod vestri honoris causa fit, juvat,
favete, et vigilate animis, vigilate auribus,
dormite linguis. Qui tacere non queunt,
bene fecerint, si cesserint iis, qui queunt,
ne et turbent alios, et morbum prodant suum.
Facite, ad conanda imposterum nos talia
bonitas ut vestra atque aequanimitas excitet.

## E GRAECO CALLIMACHI.

P1_59

Namque et ego nitido capiti, flavisque capillis
   serta olim Assyrio sparsa liquore dedi,
et bona in ingratum congessi plurima ventrem,
   cuncta sed in ventos illa abiere leves.
Servarunt solae commissa fideliter aures.
   Corporis hac una est parte reperta fides.

## AFFICTA ATTIO

P1_60

Nam si lamentis adlevaretur dolor,
longoque fletu minueretur miseriae,
tum turpe lacrimis indulgere non foret.
Fractaque voce divum obtestari fidem,
tabifica donec pectore excesset lues.
Nunc haec neque hilum de dolore detrahunt,
potiusque cumulum miseris adjiciunt mali,
et indecoram mentis mollitiam arguunt.

## AFFICTA TRABEAE.

P1_61

Here, si querelis, ejulatu, fletibus
medicina fieret miseriis mortalium,
auro parandae lacrimae contra forent.
Nunc haec ad minuenda mala non magis valent,

quam nenia praefica ad excitandos mortuos.
Res turbidae consilium, non fletum, expetunt.

P1_62

Ut imbre tellus, sic riganda mens mero,
ut illa fruges, haec bona consilia offeras.

P1_63

Gustanda vita, non fruenda, homini datur.
Nam cum fruendi tempus est, tum deserit,
felicius maritus, an caelebs agat ?
Privata vita sitne regno dulcior ?
An vita regia solium attingat Jovis ?
Peregre morari suavius sit, an domi ?
Qui, quamque multi, et quo parandi more sint,
quo habendi amici ? Nullus haec curat puer,
rarus adolescens, nec senex omnis videt.
Et haec tamen vitam prope omnem continent.
Quae si quis acri cura et usu pervigil
longo notarit, jamque secum statuerit,
quid fugere, quid contemnere et quid persequi
expediat homini ; vix eam ingresso viam,
quam maxime, quam ex omnibus probaverit,
obstat senectus invida, et cursum impedit ;
mox avida tristes Lachesis injicit manus,
sic vivere meditantibus vita evolat.

P1_64

Si exspectes, Pamphile, ipsa dum negotia
te accersant ultro, et dormientem exsuscitent,
vehementer erras ; taciti discedunt dies :
nec obliviosos officii admonent sui.
Superba res est rei gerendae occasio,
semel contempta, numquam postea redit.
Vigiles oportet, et tua accures memor.
Nam, si ipse rem curare negligas tuam,
fugit illa, et facile, qui se curet, invenit.
Tu rem, quam cures, postea haud facile invenis.

P1_65

Memini magistrum puero mi olim hoc dicere,
Summum Jovem facere item, ut caupones solent
qui vina, ut vendant, turbant, miscent, diluunt,
nec cuiquam vini simplicis donant cadum.
Itidem illum aiebat, in vita mortalium
numquam fortunam simplicem cuiquam dare,
sed temperare fata laetis tristia.

P1_66

O lingua, lingua, ut magna eges custodia,
quae et aliis saepe, et saepius Domino noces.
Multum assecutus, qui bene didicit loqui ;
qui bene tacere, non minus assecutus est.

P1_67

Nivibus hiems exsuperat ; et ver floribus,
aestas aristis affluit, lacrimis amor.

P1_68

Si mihi lacerti, quales olim, nunc forent,
non lingua potius tibi opem ferrem, quam manu.
Nunc tarda membra, et sanguis adstrictus gelu
conserere in acie cum hostiibus manum vetant
prodesse patriae voce et consilio sinunt.
Corpus abit annis, consilio animus viget,
viresque senibus defluunt, verba affluunt.

FINIS LIBRI PRIMI

# M. ANTONII MURETI POEMATUM VARIORUM LIBER SECUNDUS.

(910 vers)

## PSALMUS XXVI. (AL. XXVII.) DOMINUS ILLUMINATIO MEA.

P2_1

Clara meae ipse Deus praepandit lumina menti,
   ipse mihi Deus est indubitata salus.
Quem metuam ? Vitam ecce meam Deus ipse tuetur.
   Cur paveam, varios concipiamque metus ?
Cum fera me vallo cinctum propiore teneret,
   et fureret carnes turba vorare meas,
ipsemet impegit, qui me prope ceperat hostis,
   ipse cadens vasto corpore pressit humum.
Ergo inimica necem mihi jam si castra minentur,
   nullus erit, pulset qui mea corda pavor.
Proelia si ingruerint, expers terroris abibo,
   spe fidens una praesidioque Dei.
Unum concedi petii mihi munus ab ipso,
   idque unum summis usque petam precibus.
Exigere ut tanti speciosa regis in aula
   fas mihi sit vitae tempora tota meae.
Ut collustrem oculis nulli loca nota profano
   et Domini aspectu, deliciisque fruar.

CETERA DESUNT.

## PSALMUS L. (al. LI.)

P2_2 Miserere clemens, obsecro, mei, Deus,
illamque magnam plane et admirabilem
ostende culpis in meis clementiam.
Immensa misericordia illa vis tuae
iniquitatem deleat, quaeso, meam.
Lava amplius me, et elue maculas, Pater,
quas taetra labes sceleris aspersit mihi,
ut totus a te mundus iterum appaream,
namque ipse culpas, heu mihi, agnosco meas,
et usque quoque lumina obvertam miser,
armata tamquam facibus, et torvum intuens
peccati imago animum paventem territat.
Tibi heu, tibi uni, Summe cunctorum arbiter,
cujus vereri maxime iram par fuit,
vesanus illo meque implevi crimine,
perpetua dictis constet ut fides tuis,
vincasque de te si quis aliter judicet.
Ne, quaeso, saevi ; namque ab ipsa origine,
genitricis alvo adhuc tepente, conditum
maculavit, heu, me foeda peccati lues.
Et tu tamen, cui cara summe est veritas,
sapientiae mi arcana detexti tuae.
Aspergar abs te, aspergar hyssopo, Pater,
mundusque fiam, tu benignus me ablues.
Ero ipse tunc nitidior intacta nive.
Tunc aure laeta nuntios optabiles
accipiam, ubi esse mitigatum te audiam,
tunc et meorum obtrita compago ossium
exsiliet illo delibuta gaudio.
Averte culpis a meis vultum precor.
Iniquitates et bonus dele meas.
Supreme mundum cor creato in me Deus,
rectumque rursus spiritum intra me innova.
Noli tuo me arcere ab aspectu procul,
tuum nec a me Spiritum Sanctum auferas.
Tuae salutis redde laetitiam mihi,
et principali spiritu fulcito me.
Vias docebo sedulus iniquos tuas,
et mente versa ad te redibunt impii,
turpi inquinatum caede me expia, Deus,
Deus salutis auctor, et princeps meae,
lingua ut molestis impedita nexibus
soluta laudes cantet exsultim tuas.
Tu, Domine, labra, qui potes, aperi mea,
et patere laudis me esse praeconem tuae.
Nam victimarum duceret si te cruor,
magnam obtulissem victimarum vim tibi.
Sed tibi holocausta ingrata, et injucunda sunt.
Sacrificium cibi omnium gratissimum est
mens, criminis quam vexat admissi dolor ;
contritum, et abjectum ad pedes tuos, Deus,
cor paenitentis spernere haud quaquam tuum est.

Domine Sioni jam benefacito libens ;
   excelsa surgant magna et urbis moenia.
Tunc justa sacra, et vera faciemus tibi.
   Tunc, tibi holocausta, qualia ipse vis, cadent,
tunc, quod tenello te juvet vitulo magis,
   tuis sonabit omnis ara laudibus.

## AD SACRAM CHRISTI CRUCEM.

P2_3

O una ante alias omnes venerabilis arbor,
   quae roseo Domini tincta cruore mades,
ter felix o spina, sacro quae in vertice fixa
   Divinum aeterno cingis honore caput.
Felices clavi, felicia vulnera, felix
   hasta, sacrum licuit cui reserare latus,
ut manans geminus sanctis ex artubus imber
   humani maculas elueret generis,
o mihi si detur fel illud, et illud acetum,
   dulcia quod Domini contigit ora mei ;
quidni utrumque mihi sit nectare dulcius ? Ille
   dempsit eis omnem tactus amaritiem,
sed maneat potius felli nativus amaror,
   immodicas fauces et mihi radat acor,
ut tormentorum fas, o bone Christe, tuorum
   degustare aliquam sit mihi particulam.
Heu miserum me, Christe, ego te hoc in stipite fixi,
   debita erant culpis supplicia ista meis,
pro me tam lato mihi vulnere pectus apertum est,
   imposita et capiti spinea serta tuo.
Perque manus ego, perque pedes ferrum istud adegi,
   haec te cuncta mei ferre subegit amor,
quod pro me indueras, pro me est lacerum undique corpus
   vulneribus, nec jam pars patet ulla novis.
Et cesso in lacrimas ? Quae me tigris aspera, quae me
   ursa ferox, silvas inter, et antra tulit ?
Fundite largifluos immitia lumina fletus
   tundite nil veritae pectora dura manus !
Ante crucem te, Christe, tuam projectus adoro,
   ac licet indigno te tamen ore precor,
ut quando generis lavisti crimina nostri,
   quod sine te inferni praeda latronis erat,
sordensem vitiis me, et probris undique opertum
   et nimis illecebris corporis implicitum,
quamquam oblectantem tua per vestigia ducas,
   participemque tui muneris esse velis.

## AD EAMDEM.

P2_4

O crux tincta sacri flumine sanguinis,
olim supplicium mancipiis grave,
nunc regum capiti praecipuum decus,
     te flexo colimus genu.
Crux hostes hominum sola procul fugat,
crux sola insidiis munit ab omnibus.

7 Adversa intrepidus despiciat, licet,
8 cujus spes cruce nititur.

AD. B. VIRGINEM, TEMPLI AD NIVES SEU MAJORIS ROMAE.

P2_5 v.1 Nox nondum exacta est, cristata sed ales acuto
2 significat cantu, non procul esse diem.
3 Et mihi jam precibus placata ex more diurnis
4 numina ; quid, dum se lux nova prodit, agam ?
5 Quid potius, quam jacta novi fundamina templi,
6 illa etenim festi est hujus origo, canam ?
7 Virgo, fave ter sancta, tuo haec meditamur honori,
8 et quamquam incultos excipe blanda sonos.
9 Liberius triplici cinctus diademate frontem
10 Romuleae custos urbis et orbis erat.
11 Patricii per idem tempus florebat honore
12 Joannes atavis reque fideque nitens.
13 Par erat huic opibusque locoque, et moribus uxor
14 et prorsus tali nubere digna viro.
15 Sed sterilem illius Dominus concluserat alvum,
16 nec jam anni prolis spes erat ulla super.
17 Nec quisquam ejusdem, quem lex Praetorve vocaret,
18 gentis erat, ipsi gens sibi tota duo.
19 Saepe sibi haeredem precibus poscebat uterque,
20 non exauditas flebat uterque preces,
21 venerat assuetis succincta caloribus aestas,
22 torrebat fissos Sirius acer agros.
23 Compositi lecto cara cum conjuge tandem
24 lumina Patricii vinxerat alma quies,
25 cum virgo jrontem stellis redimita coruscis
26 per thalami clausas visa subire fores.
27 Stansque toro supra : "Quid te tam saepe fatigas,
28 haeredem certum dum tibi poscis ? ait.
29 Ipsa ego, quam cernis, jam nunc tibi destinor haeres,
30 quae pecibus lunam, lucidaque astra premo ?
31 Tu modo, quae dicam, memori fac mente recondas,
32 non tibi fas verbis indubitare meis.
33 Proxima cum radiis aurora retexerit orbem,
34 conscende excelsas impiger Esquilias.
35 Quasque solum late nivibus candere videbis,
36 hic claranda meo nomine templa loca."
37 Dixit et in caelum multa cum luce reversa est,
38 ima seni gelidus concutit ossa pavor.
39 Surgit et extemplo Lateranas tendit in aedes,
40 cunctaque Pontifici voce tremente refert.
41 Ille quoque objectam speciem sibi narrat eamdem,
42 visaque res cura dignior esse gravi.
43 Pontificis jussis clerus populusque vocatur,
44 monstratique simul per juga montis eunt.
45 Devenere locos, ubi se nix plurima caelo
46 fuderat, et latam sparsa tegebat humum.
47 Attoniti una omnes praesentia numina clamant,
48 pacemque et veniam supplice voce petunt.
49 Nec mora, signatur templo area lata futuro,
50 Liberius sancto consecrat ore locum.

"Hinc Nonis adjectus honos sextilibus ille est,
hinc agitur festus nunc tibi Roma dies.
Nos quoque jam ad templum, quoniam diluxit, eamus,
Virginis ut sanctae rite precemur opem."

## ECCLESIA GENTIUM.

P2_6 Fusca quidem (neque enim pudor est mihi vera fateri)
sum, fateor, vultu fusca, decora tamen.
Me fuscam genetrix in luminis edidit oras,
et vitiis sparsam multiplici macula.
Gratia sed nitidis ubi me semel abluit undis,
tota fui subito candida, tota decens.
Hinc me pulcher amat sponsus super omnia rerum,
datque animi assidue pignora certa sui.
Ipsa quoque ut par est ipsius amore liquesco.
Pro quo dulce mihi est vivere, dulce mori,
quam jucunda exest animae mihi flamma medullam !
Quam suave in medio pectore vulnus hiat !
Nec meus hic ullo minuetur tempore languor :
in bona nil Juris talia tempus habet.
Quin etiam cum mors anima seduxerit artus,
tum demum aeternus nos sociabit amor.

## AD NICOLAUM VIENNENSEM EPISTOLA.

P2_7 Inclyta nobilium soboles, Nicolae, parentum,
qui jam nunc, ipso ex aetatis limine signa
virtutis praebes nobis manifesta futurae,
nimirum sapis, et rem recte intelligis unus,
qui licet antiquis ortus natalibus, haud te
ante tamen ponis reliquis, sed fronte modesta
alloqueris cunctos ; vultuque humanus amico,
non ulli renuis dextram praebere fidelem.
At quidam contra nullis majoribus orti,
ore tamen tumido voces efflare superbas,
aequalesque suos audent contemnere, tamquam
indignos, queis sese aequali foedere jungant.
Quos tu deridens, inter nihil esse, parente
quo sit quisque creatus, ais, dum sit modo verae
virtutis studiosus, ametque in rebus honestis
ponere labentis fatalia tempore vitae.
Cui non Sicaniae notus dominator opimae,
qui de figlina est ad regni evectus habenas ?
At contra Persei, qui claram rexerat olim
Pellenen, natus, fortunae ludibrium, amplos
instabat folles, et regis filius, unco
impositam incudi versabat forcipe massam.
Quid ? Non et matris captivae abjecta propago,
flamma index regni cui circum tempora fulsit,
regali sedit solio ? Quid stemmata jactas ?
Nam pueri regum parte enascuntur eadem,
qua mendicorum ? Numquid communis utrique
materia est ? Numquid morbis obnoxius aeque est,

quem lana Assyrio velat medicata veneno,
principibus proavis claroque ex sanguine natum,
et sub Aquitanis sordet qui bardocucullis,
de peronato genitus patre ? Nonne sorores
Noctigenae, vitas hominum quo pollice versant,
sunt aeque immites generosis, vilibus aeque ?
Quidnam agitur praestat mendico hic nobilis isti ?
Aut quid nobilitas tandem est, nisi fumus inanis ?
Nam si vim verbi inspicias, et nobile scortum
dicitur, et latro nonnumquam nobilis : imo
nomine ita accepto, Pornus quoque nobilis ipse
sed nempe insanit vulgus, multoque veratro
indiget, indignos alienis laudibus ornans.
Qui se non ullo deturpat crimine, quique
viribus ingenuas totis amplectitur artes,
is mihi, sit quamvis genitore creatus egeno,
nobilis est ; at qui, vitiorum mole gravatus,
nil praeter statuas, et avorum nomina jactat,
si verum excutias, longe abjectissimus ille est.

## AD JANUM ANTONIUM BAIFIUM.

P2_8 Jane, mei cordis longe pars maxima, quocum
dulce mihi est totos crebro componere soles,
dum tu aut Niliacae meditaris funera Thisbes,
inficiens atro candentia poma colore ;
aut opus eximium numeris sublimibus aptas,
syrmate conspicuus, picturatoque cothurno,
carmine nos humili nostros includimus ignes ;
aut brevibus scriptis dulces affamur amicos ;
aut vitiis genuinum infigimus. Omnia nos haec
parvula inaudaces : tibi fas majora parare,
cui totus se Helicon, totusque recludit Apollo,
ad vires se quemque suas componere verum est.

## AD STEPHANUM JODELLUM.

P2_9 Semina sunt quaedam nascentibus insita nobis,
queis duce natura, ad varias impellimur artes.
Ille fori rabiem vesanaque jurgia laudas,
et pavidos grata defendit voce clientes,
impatiens oci ; contra hic sulcare carinis
regna tridentiferi gaudet patris et trabe vastae
visere longinquo terras sub sole jacentes ;
prodigus hic vitae violentis ducitur armis,
gaudet et hostili stagnantes sanguine campos
aspicere, et litui sonitu recreatur acuto ;
ille sui numquam fines excedere agelli
ausus, amat tacitis deducere passibus aevum,
proscindens magnae gremium genitricis, et altis
pinguia Triptolemi committens munera sulcis.
Nos Musae, Jodelle, tenent genitorque Lyaeus,
quem rigidi ambiguo venerantur numine Thraces,
et Nymphae celeres, et capripedes Satyrisci.

Nos et luce nova lustrat dum Delius orbem,
et jubar auricomum tremulis dum fluctibus abdit,
addictos studiis videt, intentosque labori.
Sed tua te virtus, animi te vividus ardor
aequales longe ante alios unum abripit : uni
purpureis dictant Musae tibi talia labris,
qualia pulchricomus, choreas ducentibus ipsis,
cantat, et ad numerum simul ipse movetur Apollo.
Felix ingenii, viridis cui detur ab aevo
longaevos aequare senes, et carmine dio
demulcere animos ! Jam te ipse tumescit alumno
Sequana, jam virides resonant tua nomina ripae.
Perge agedum, neu te venienti subtrahe famae !
Non te parca feret totum, non totus obibis,
parsque tui effugiet ferales optima flammas.
Musa suos vetat ipsa mori ; dat vivere Musa
perpetuo, et famam memorem per saecla propagat,
caelo Musa beat, famam tibi Musa perennem
protrahet, et caelo te olim, Jodelle, beabit.

## ELEGIA AD F. VERUM LOMENIUM.

P2_10
Heu mihi, cur genio vis me pugnare, Lomeni,
naturaeque jubes vertere jura meae ?
Curve parum gratas impellis durus ad artes,
musica cui solum sacra placere vides ?
Nam nec agris miles fieri, nec idoneus armis,
cui semel arrisit rustica vita, potest.
Nec si quem placido nascentem lumine Clio
viderit, admota contigeritque manu,
aut bonus hostiles umquam foedare catervas,
aut ad saeva fori jurgia promptus erit,
omnia sed fugiens tranquillae inimica quieti
exiget aetatis mollia fila suae,
magnarum securus opum, securus honorum
omnia despiciens, quae leve vulgus amat ;
ille etiam summos audax contemnere reges,
praeque sua miseros condicione putans,
castra juvant alios, bellique inamabile murmur,
missaque non siccae corpora multa neci,
queis rapiat primae teneros lanuginis annos,
acceleretque suum Parca severa diem,
gaudeat hic miseros inter clamare clientes,
et pavidos duro terreat ore reos ;
hic adeat terras alio sab sole calentes,
littoraque instructa plurima classe legat,
seu ferat Herculeas animus spectare columnas,
seu ferat annosos ire ad Hyperboreos,
durus, qui fragili vitam committere ligno
audet, et ignotas aequoris ire vias,
nec timet in verso decumanos marmore fluctus
securusque animi squamea monstra videt.
Non sic divini, mitissima pectora, vates,
aethereo quorum flamine corda calent ;
otia sectantur sed enim, tacitosque recessus,

et sua neglectis urbibus arva colunt,
splendidaque et multo spectanda palatia luxu
contemnunt, humiles anteferuntque casas,
illic et siccant generoso plena Lyaeo
pocula Bistonia frigidiora nive.
Sic ego sim liceatque mihi, mea Musa, per agros
non alia vitam ducere sorte meam.
At tu, quantum in te est, alio nos ducere tentas,
Astraeaeque sequi numina, Vere, jubes.
Ecquid, ais, quaeso molli tibi carmine quondam
proderit, aut homines, aut cecinisse deos ?
Scilicet ut voti fueris cum fabula vulgo,
cumque erit in vultu plurima ruga tuo,
fortiter esurias, ut te mala cogat egestas
multa pati forti non patienda viro,
sectari mensas, blande appellare potentes,
tollere mentitis laudibus astra super.
Quod nisi desiperes, poteras in luce forensi
versari, et laudem quaerere opesque tibi.
Excute decepta blandum de mente furorem,
qui tibi, ni caveas, perniciosus erit.
Advertit tardas qui recta monentibus aures,
exitium demens fabricat ipse sibi.
Ergo ego, ut hirsuti verbosa volumina Baldi,
ut discam leges Justiniane tuas,
dediscam teneri modulamina blanda Properti,
dediscam numeros, culte Tibulle, tuos ?
Ah peream prius ; et saevo me fulmine tactum
trudat in obscuras Jupiter ipse domos.
Dispersam, si quicquid opum, si quidquid honorum est,
a genere hoc vitae me revocare potest.

## AD JOANNEM AURATUM VIRUM UTRAQUE LINGUA ERUDITISSIMUM.

P2_11

Aurate gentis grande decus meae,
qui tensa docta fila legens manu
saeclis inexpertum vetustis
ambrosio jacis ore nectar.
Quid esse causae suspicere, invida
suis quod ortos Gallia finibus
aut odit, aut spernit poetas,
usque favens peregrinitati ?
Atqui vetustis temporibus suos
et fovit Hellas et Latium suos,
quae pravitas nos mentis unos,
ne faciamus idem, coercet ?
Nihil daturum me auribus hic tuis
velim arbitreris. Sim licet et fide
pridem tibi, et communitate
sanguinis, et patriae alligatus ;
nil ista sed me commoveant tamen,
aurate, palpo percutere inscium,
ut laudibus te ornare pergam,
ni tua me prope singularis
virtus moveret. Nil faciles tibi

Musae necarunt, seu libeat fide
sacrare Graeca, seu Latina
nobilium inclyta facta regum.
Hac arte quondam quas sibi copias
Dirces alumnus, quod peperit decus ?
Contra, tuos mercede justa
quisnam hodie decorat labores ?
Praejudicatae quod nisi nos premat,
auctoritatis pondus, erit nihil,
cur non, metu plane remoto,
cedere te inficiemur ulli.
Sed nempe virtus temporibus jacet
depressa nostris : hinc sit, ut unici
virtutis altores poetae
clade etiam simili premantur.

## IN DISCESSU DANIELIS SCHLEICHERI, FILII LONGE DULCISSIMI.

P2_12

Descende caelo, et jam mihi lugubres
regina dicta Calliope modos,
quibus furentem, eheu, sub imis
visceribus retegam dolorem.
Dic, diva, carmen, quale per herbidi
ripas Caystri, candidulum caput
trajectus immiti sagitta,
voce canit moriente cycnus,
aut qualia olim conjuge Thracius
rapta sacerdos dixerat, ad sonum
quorum et ferae immanes quierunt,
et rabidi posuere venti.
Ah ! unde questus incipiam meos ?
Quae prima se vox pectore proferet,
iterque laxabit querelis ?
Nam meus hinc Daniel recedit.
Numquamne posthac, o juvenum decus,
quotquot, jugales dum citat aureos,
terramque collustrat jacentem,
ignivomo videt ore Phoebus,
numquamne posthac conspiciam tuos,
Schleichere, vultus ? Cur igitur moror,
nec tristis invisaeque vitae
fila ferox inimica rumpo ?
Jamjam valete o gaudia, et o joci,
et quicquid ante hac dulce fuit mihi ;
venite jam fletus perennes,
perpetuique venite planctus.
Innixa ramis Daulias ut novis,
cui cautus auceps furtifica manu
pullos tenellos involavit,
maesta sedet, geminatque questus,
et se doloris vulnere conficit ;
sic ipse, postquam desiero tui
aspectu amato atque expetito
posse animum exsatiare vultus,
eheu, quibus tunc fluctibus opprimar !

Quantas dolorum perpetiar faces !
Quam saepe, te ut spectare possim,
morte mea cupiam pacisci !
Lenito crebris haec mala litteris,
o nate, saltem, neve animo patrem
depone, qui dum vivet, unum
pectore te retinebit arto.

AD CLAUDIUM VOESIUM.

P2_13
Claudi integello pectore amabilis,
qui mente solus disjicis a mea
acerba curarum benignis
vocibus, alloquioque dulci.
Non sic timenda est, in Lybia jugis
quae matre rupta vipera nascitur,
non scorpii cauda minaces,
non geniti sub aquis chelydri,
non herba taetro noxia gramine,
quamcumque tellus Thessalis educat ;
non illa, quam stillante rictu
spuma canis genuit triformis,
dira ut latentis tela Calumnia,
quam Dite tellus sustulit ex patre,
nefariam, insontesque fictis
criminibus premere efficacem.
Haec conglobatis suspicionibus
Beli nepotem perdidit, haec mala
adegit ad potum cicutae
innocuum sophiae parentem.
Dum Phoebus Indos exoriens novo
afflabit igni, Beticolas cadens,
non ulla Thesidae modesti
saecla pudicitiam tacebunt.
Aggressa blandis hunc sua fraudibus
noverca pellex : "Quid juvenum decus,
labentis istud ver juventae
perdis, ait, tenerumque florem ?
Cur editorum per juga montium
antris latentes persequeris feras ?
Tibi absque telis, retibusque
praeda domi melior parata est.
Accede, neu te paeniteat mei
fructus pudoris carpere primulos ;
non me ore natura indecoro
protulit, immeritamve amari.
Quid vana legum vincula te movent ?
Natura nullos concubitus vetat,
sed compedes vanissima istas
cura hominum sibi fabricata est."
Nil ille motus : "Desine vocibus
tentare mentem spurcidicis meam,
o spurca, et in tauros furenti
progenies genitrice digna."
Haec fatus in tesqua, et nemorum abditos

abit recessus, gaesa manu rotans,
vadentem odora et vis sagacium
anteit, et sequitur Laconum.
Quid innocenti sed juveni tamen
servasse tanto a crimine profuit
mentem, apud patrem reversum
impia plus potuit noverca ?
Cujus querelis ille adeo integer
per vota patris filius occidit,
cautes et eliso marinas
imbuit emoriens cerebro,
nec me venenis non petiit suis
illa ipsa mendax anguipedum soror,
mendaciorum procreatrix,
perpetua et scelerum architecta,
sed dexter illi me eripuit Deus,
umbone tamquam me triplici tegens,
cujus memor, numquam canoris
versibus hunc celebrare mittam.

## AD PETRUM RONSARDUM GALLICORUM POETARUM FACILE PRINCIPEM.

P2_14

Ronsarde, Aonii pectinis arbiter,
qui princeps resonum sollicitas ebur,
ventorumque minas, et celeres potens
lapsus sistere fluminum.
Quando te reducem Vindocino ex agro
cernemus, veterum turba sodalium ?
Quis te, quis niveo vellere conditus,
nobis restituet dies ?
Quid desiderio perpete nunc tui,
heu quae non facimus vota ? Quibus sacros
postes muneribus cingere parcimus ?
Quas non concipimus preces ?
O saltem interea, quicquid agis, memor
nostri vive ; ita de curribus aureis
rumor per liquidum gemmeus aera
spectandum populis vehat !

## AD NICOLAUM DENISOTUM COMITEM ALSINOTUM.

P2_15

Bacchus poetas et facit, et fovet ;
Bacchus poetarum ingenia excitat,
Bacchus novem praestat puellis,
et melior potiorque Phoebo est.
Ter terna quisquis pocula sumpserit
dulcis Falerni, sentiet hic sibi
calere divino furore
carmina ad ejicienda mentem.
Sic laetus olim vixit Anacreon,
cinctus virenti tempora pampino,
sic Ennius semper madenti
gutture carmina funditabat.
Algentis at quos potus aquae juvat,

frigent eorum carmina, nec ferunt
aetatem. Ades, mecumque plenis
hic cyathis, Nicolae, certa ;
miranda seris carmina posteris
uterque loto gutture concinet,
o dulce tormentum, o gravatis
certa quies animis Lyaee !
Quaenam imperiti pocula quaerimus
vocalis undae ? Quod bifidi duplex
montis cacumen somniamus ?
Quam petimus fatui Hippocrenen ?
Haec Hippocrene est : unius hic liquor
vates stupendos efficere evalet.
En, par pari gratus repende :
hoc ego te cyatho saluto.

## AD JANUM TILIUM PARAENETICON.

P2_16 Modus tenellis quis tibi ab unguibus
vitae tenendus, Jane, sit, accipe,
benigna quem natura finxit
ingenio puerum sequaci.
Primum ergo amorem numinis intimo
serva usque fixum pectore, et illius
ad jussa te compone : nulla est
sors nocitura Deum colanti.
Fac et parentes sis pius in tuos,
honore et illos promerito colas :
impune numquam sprevit ullus,
a quibus ortus erat, parentes.
Fas et magistris, sint licet asperi
nonnumquam, honorem reddere debitum,
si quando te objurgent, id illos,
te quod ament, facere arbitrator.
Nam primula aetas innumeris rapi
affectionum turbinibus solet :
frenari eam quare et magistri
assiduo imperio necesse est.
Nil turpe factu dicere, fas puta :
quae quisque gaudet dicere, eis quoque
gaudere patrandis putatur,
indicium sua cuique lingua est.
Disce et, sodales quos tibi debeas
parare, nam omnes consimiles fere
evadere illis assolemus,
queis cum agimus, neque pestilenti
si quis frequenter vixerit in domo
nec si in malorum coetibus, ut sibi
contagio nil obsit, umquam,
arte cavere valebit ulla.
Vide ergo, ut illos, Jane, pares tibi,
queis esse te olim consimilem voles.
At immodestos quos videbis,
et cane pejus, et angue vita.
Laborem amato, dum juvenis viges,

ut otieris, cum senium premet :
laboris osores nec ulla
laus sequitur, neque splendor ullus.
Haec si sub imo pectore clauseris
praecepta, Tili, spes bona nos tenet,
tuis, fore, ut majoribus te
persimilem videamus olim.

## EPIGRAMMATA.

### ANTONIO GOVEANO.

P2_17 Summe poetarum, quos saecula nostra tulerunt,
cui sacra Castalii fluminis unda subest,
accipe non tetrica juvenilia carmina fronte,
a domino limam jussa subire tuam.
Ut tibi si (quod vix ausim sperare) probentur,
olim se lucem posse videre putent ;
sin minus, aeterna damnentur ut omnia nocte,
aspectu tanti facta beata viri.

### JULIO CAESARI SCALIGERO.

P2_18 Scaliger Aoniae decus immortale cohortis,
qui, quae alios ornant, singula, solus habes,
altera Veronae, major sed fama priori,
cui Clarii munus cessit utrumque Dei,
cui tot se debent animarum millia, per quem
saepius est Stygii cymba quieta senis.
Quod tantum augusta de majestate remisti,
ut placido versus videris ore meos,
praemia quae tandem tibi digna reponere possim ?
Devoveam si me, vix satis esse putem.
Tune meos versus voce ut laudaveris illa,
quam stupet, et qua nil grandius orbis habet ?
Praemia quaenam igitur reddam tibi digna ? Sed erro :
praemia non debent reddier ulla diis.
Anne tuas igitur describam carmine laudes ?
(Laudari humana numina voce volunt.)
Deficient humeri tanto sub pondere, nec jam
tuta erit in tanto nostra carina mari.
Quidnam igitur ? Taceo satis hunc dixisse putandum est,
se quicumque satis dicere poste negat.

### GUILIELMO MOMBASIO EPISCOPO LECTORENSI.

P2_19 Quod tam censeris generoso sanguine, Praesul,
quodque es tam multis clarus imaginibus,
illa quidem certe laus est non infima, sed quae
tota ad majores sit referenda tuos.

Quod superas opibus multos, quod honoribus anteis,
fortunae haec dici munera posse vides.
Quod sis augusto spectandus corpore, forsan
natura hanc dotem vendicet ipsa sibi.
At quod tam multis fulges virtutibus, atque
eximiis rari dotibus ingenii,
quodque tuis lucem praeferre nepotibus illam,
quam tibi majores antetulere potes ;
haec demum est tua laus, haec, praesul, laus tua demum :
una haec te superis inserit ordinibus.

## IN PONTICUM.

P2_20 Aurea non vana jactas tua carmina voce,
purgari solo nempe quod igne queunt.

## IN NOALLIUM.

P2_21 Nil immundius est tuis libellis,
nil obscenius impudiciusque,
et vis te tamen ut putemus esse
Numa Fabricioque sanctiorem.
Ac sententia nostra ea est, Noalli,
quisquis versibus exprimit Catullum,
raro moribus exprimit Catonem.

## IN VIRGILIUM

P2_22 Cor Phoebi, Phoebus Latii, Vatum Pater et Rex,
fons, ex quo Aonia prosilit humor aquae,
par volui primum, major sed factus Homero,
in Graecos Romae jura secunda dedi.
Ad caelos tandem raptus, Jove judice, dicor
nectarea illorum vincere voce sonos.

## NEQUE AVAROS, NEQUE PRODIGOS PROBANDOS ESSE.

P2_23 Improba quem partis cumulandi plura libido
detinet, et juris non sinit esse sui ;
quem vexant damnosa modis insomnia miris,
dum sua sub tacita pondera nocte putat ;
qui queritur tardas non saepius ire calendas,
quique nihil pensi, dummodo quaerat, habet ;
omnia prae lucro contemnere jura paratus,
nec mihi, nec cuiquam, credo, placere potest.
Sed neque qui ternis decies centena diebus
fundit, et in sumptu nil putat esse nimis,
quique etiam noctu posita cum luserit arca,
non alio ritu tempora lucis agit :
quem sol si primo locupletem viderit ortu,
redditus ex Croeso protinus Irus erit,
qualis apud Stygiam torquet rimosa paludem

vano virgineas urna labore manus.
Quisnam igitur ? Qui se cauta sic temperat arte,
ut medium servans vitet utrumque latus.
Providus, at facilis ; parcus sibi, largus amicis,
atque etiam largus, cum petit hora, sibi ;
qui nec opes terrae furtim componere, sed nec
perdere discincti more nepotis amat.

IN ROMANUM.

P2_24 Cum somnus pigris vix dum est excussus ocellis,
atque recens orto pluma relicta die,
inclamas multo puerum, Romane, boatu,
ora lavaturas qui tibi portet aquas ;
tunc et gingivas multo sale sesquipedales
proluis, et guttur terque quaterque tuum.
Esse quid hoc dicam, quod cum tam saepe lavetur,
numquam non tamen est sordida lingua tibi ?

IN MALOS PRINCIPES.

P2_25 Jupiter in faciem, propter sua probra, lupinam
mutavit regem, Maenalis ora, tuum.
Ille quidem Regum solus, mihi credite, non est
de se qui dici promereatur idem,

IN CORELLIUM.

P2_26 Sutor es, et pistor, lanius, lenoque coquusque
mercatorque bonus causidicusque bonus,
te tamen in tota non est mendicior urbe,
nec quem paupertas artius aegra premat.
Dic agedum, qui fit (nam res est mira, Corelli)
cum tot res facias, rem facere ut nequeas ?

STEPHANO ALISIO BURDEGALENSI.

P2_27 Si mea se faciles dederint in vota Camenae,
ut per plura meum saecula carmen eat,
tu pariter mecum memori celebraberis aevo,
et tibi scripta vetus per mea nomen erit ;
sin (sed enim verbis et pondus et omen abesto !)
Non seneant domino longius illa suo,
non tamen idcirco tibi displicitura putabam
haec magni in te animi pignora parva mei.

MARIO CRUCIO.

P2_28 Forma aetate perit, vires aetate fatiscunt ;
casibus innumeris eripiuntur opes :
una, Mari, est virtus, quam non vis temporis aufert,

non premit indigno sors inimica pede.
Una suos invicta perennibus inserit astris,
fortuna imperio liberat una suos.
Hanc sequere. Insane est postponere firma caducis,
veraque quae bona sunt spernere, falsa sequi.

## DE VIRTUTE ET GLORIA.

P2_29

Virtus ut solidum quiddam est, et corpore constans ;
aequa sed est umbrae gloria fluxa levi.
Hanc igitur quisquis neglecta amplectitur illa,
huic mage quam corpus corporis umbra placet.

## SUB EXORTUM DIEI.

P2_30

Roscida purpureos effert aurora jugales,
et nitidum soli praevia sternit iter.
Noctis aves dudum rupere silentia cantu,
nullaque jam caelo, rara vel astra micant.
Exit flammivomo Phoebus spectabilis ore,
et tenebras densa noctis abire jubet.
Christe, Patris splendor, vero me lumine reple,
atque meo tenebras pectore pelle procul !

## DE VOLUPTATE ET RATIONE.

P2_31

Cum, velut excelsa residens in puppe, voluptas
arbitrio mentem pellit agitque suo,
horrida bacchantes ineunt certamina venti,
navemque in Syrtes, et vada caeca trahunt,
illinc ambitio, dolus hinc consurgit, et atrox
ira cruentatas sanguine tincta manus.
At ratio regimen navis si sumserit, ecce
compositis undis aequora tuta silent.
Ipsa ratis nullo ventorum exterrita flatu
in portum certo tramite flectit iter.

## IN PAULUM.

P2_32

Quae tu condideras, inspexi carmina nuper,
lectaque sunt, fateor, terque quaterque mihi.
Nec tamen evalui cognoscere, quid sibi vellent,
usque adeo obscure scribere, Paule, soles.
Nam tu verba, puto, ex libris accepta Sibyllae,
quaeque Catonis erant tempore prisca nimis,
versibus infercis, gaudesque obscurus haberi,
et velut inducta singula nube tegis :
errasti hoc tantum, quod mittens carmina, Paule,
debueras una mittere Grammaticum.

## PETRO QUINTIO.

P2_33 Si Dea, quae dubiis huc illuc passibus errat,
et regit humanas lumine capta vices.
Quem Labyrintheis erroribus egit, Ulyssem
ad patrios esset passa sedere focos,
membraque lausque viri tumulo caperentur eodem,
et tegeret nomen, qui tegit ossa, lapis.
At quoniam fatis varie crudelibus actus
dura tulit terra plurima, plura mari,
vivit, et evectus rutilis super aethera Pennis,
Maeonio clarum carmine nomen habet.
Macte animo, Quinti, dum te sors invida vexat,
a patriisque procul finibus esse jubet.
Virtutem illa tuam toto disseminat orbe,
dumque nocere cupit, sic quoque saeva juvat.

## CLAUDIO BURGO.

P2_34 Perpetuo maeres, nec frontem exporrigis umquam,
hoccine tu quaeso vivere, Burge, vocas ;
is demum vere vivit, qui mente serena,
et nitido laetos exigit ore dies.
At qui perpetuis torquet se angoribus, hunc non
vivere, sed lenta morte perire puto.

## IN D. CATHARINAM.

P2_35 Quo te praecipue commendem nomine, virgo ?
Laus etenim quae te non minor esse queat ?
Magnum erat errores veterum liquisse parentum ;
majus at imperium deseruisse fuit.
Magnum erat immanis rabiem sprevisse tyranni ;
supplicia at majus sponte subire fuit.
Magnum erat his vitam sponte objecisse periclis,
majus numquam animo succubuisse fuit.
O decus eximium patriae, sexusque polique !
Dicere te merito nullus honore potest.

## EADEM DE SEIPSA LOQUITUR.

P2_36 Illecebras inter medias educta virago,
re princeps, mulier corpore, mente dea,
nixa Deo, mundi spernens mala gaudia : vici
tum tormenta animo, tum ratione sophos.
Non rota, non gladii, non ipsi horrenda tyranno
mors potuit mentem sede movere meam.
Scilicet haud quicquam mens Christo afflata veretur,
ille meae vires, et mea vita fuit :
quid fuit ; estque fuitque atque est sine fine futurus,
principium vitae mors dedit ipsa mihi.
Qui legis haec, sic tu te etiam compone, viator :
mors tibi pro Christo vita perennis erit.

## IN COMMENTARIOS JURIS CIVILIS, FRANCISCI CONNANI VIRI CLARISSIMI. LIBER LOQUITUR :

P2_37 Dum tua nil praeter curantis commoda, Lector,
me patris assiduo cura labore polit,
dumque diebus amat totas ex ordine noctes,
noctibus et totos continuare dies,
ipse (fatebor enim infelix) dominoque patrique
ipse necis properae maxima causa fui.
Verum etiam sine me fatalia tempora mensus,
serius ut paulo, tandem obiturus erat.
Faxo ego, ut aeternum per me nunc vivat : eroque
illi auctor vitae, cui necis ante fui.

## DE MORTE BRUTI.

P2_38 Brutus ut Augusto belli succedere palmam,
et paulum a victis vidit abesse suos,
amplexus gladium multa jam caede madentem,
"Ergone te, dixit, sospite servus ero ?
Quin potius fatis id quod praeclusa malignis
non potuit patriae, id dextra datura mihi est."
Haec fatus, rutilum per costas exigit ensem,
magnanimoque cadens pectore pulsat humum.
Sic quoque dum moritur, labris dum spiritus errat :
"Nunc, ait, invito Caesare, liber ero."

## DE MORTE CICERONIS.

P2_39 Cum ferus astaret stricto mucrone satelles,
sumere supplicium de Cicerone parans,
immoto vultu atque oculis constantibus, ille
praebens infanda colla secanda manu :
"Publica libertas vita mihi carior, inquit,
me quoque me fas est, te moriente, mori."

## CALENDIS JANUARIIS. JOCOSUM.

P2_40 Non tibi pro Xeniis fulvi pretiosa metalli
pondera, non docta signa polita manu,
non lana Assyrio tincta et saturata veneno,
non gravis argenti lamina munus erit.
Talia non capiunt generosas munera mentes,
talia magnanimi spernere dona solent.
Cum te igitur, quam sis excelso pectore, norim,
non mittam ista tibi dona. Quid ergo ? Nihil.

## IN INSIGNIA LUCAE SEMPRONII,

P2_41 Esse rosas caeli merito quis dixerit astra ;

astra sed et terrae dixeris esse rosas.

IN JULIUM CAESAREM SCALIGERUM.

P2_42
Dic, Dea, quod possim scripturus fingere nomen,
Scaligeri quod par laudibus esse queat ?
Cur petis imprudens, quod habes ? Dic, Scaliger : illud
omnia virtutum nomina nomen habet.

IN EUMDEM.

P2_43
Dicite mi, Musae, cultissima nomina nobis,
quonam Scaligeri pascitis ora cibo ?
Sic ego. Sic Musae : quam te sententia fallit ?
Nectare quo potius nos alat ipse, roga.

IN CAROLUM CALIANTHEUM.

P2_44
Philosophum te dicis et hoc te nomine jactas,
prae te omnes reliquos ut nihil esse putes.
Nec tamen aut rerum causas et pondera nosti,
aut aliud, nomen quo mereare sophi.
Una tuis titulis addenda est littera, Carle :
non mihi Philosophus, sed Philosomphus eris.

IN QUEMDAM.

P2_45
Mulciber incessu, capite Aeolus, ore Lyaeus :
tres uno divos corpore solus habes.

JOANNI CASTIGANDO.

P2_46
Ni quantum pote quisquam amare quemquam,
tantum te ipse amo, Casticande, ni te,
totum non oculis fero jam in ipsis,
verum in pectore et intimis medellis :
contingant mihi cuncta, quae timentur,
et multo graviora, quam timentur :
tanto ut sim ipse miserrimus malorum,
quanto tu unus es optimus bonorum.

IN PONTILIANUM.

P2_47
Cur tua vix umquam sint salsa epigrammata, quaeris ?
Diluis haec nimio, Pontiliane, mero.

DE LUCII CUJUSDAM MEMORIA.

P2_48
Esse aliquam si quis memorandi perneget artem,

hanc qui confirmet, Lucius unus erit.
Ille etenim nuper curaque adjutus et arte,
tres versus totidem noctibus edidicit.

IN PAULUM.

P2_49
E lecto surgens ad mensam accedere Paulus,
e mensa ad lectum rursus abire solet.
Interea attingit libros et vina Catelli,
et queritur sese discere posse nihil.

DE POMPILII NASO.

P2_50
Pompilio est nasus cubitos tres longus et unum,
latus et hunc murus cingit utrimque triplex.
Adsunt et turres, Bacchus quas condidit ipse,
et minio tinctas usque rubere dedit.
Huic etiam naso vis admiranda tributa est,
nam calices siccos illius umbra facit.
Imo etiam longe distans si senserit usquam,
ut magnes ferrum, sic trabit ille merum.
Nuper eram in mensa, sitiens, potare paratus ;
Pompilius clausas astitit ante fores :
mira canam, sed vera, merum mihi forte paratum
attraxit naso protinus ille suo.

IN PAULI NASUM.

P2_51
Exiguum si quis nasum vidisse laborat,
Paulum adeat, Paulo si modo nasus inest.
Non etenim est nasus, sed pars centesima nasi ;
et quo quis viso dicere possit "Ubi est ?"
Talis inest nasus muscis, sed et his quoque major,
et melius nasi nomine dignus inest.
Quam quae per radios volitant corpuscula solis,
majorem nasum vix, puto, Paulus habet.

SANSONI CRUCIO.

P2_52
Et bonus et dives, Sanso, simul esse laboras :
id fieri nulla sed ratione potest.
Sic utrumque petens perdes utrumque : necesse est,
alterutrum tollas, ulterutrumque petas.

IN VITRONEM.

P2_53
Quod totam Vitro furiosi more per urbem
discurrit noctu, quod loca sola petit,
nescio quid secum solus quod mussitat, illo
quod nemo est tota sordibus urbe magis ;
hac ratione parat nomen famamque Poetae,

et reperit fatuos sic quibus esse probet.
O valeant calami, pereat genus omne librorum,
reddere si vates mens male sana potest.

IN PONTILIANUM.

P2_54 Cum rapidus medio desaevit in aequore Titan,
fer, puer, huc cyathos, Pontilianus ait.
Cum pluit, "En, inquit, Deus admonet esse bibendum,
qui nune tam multo proluit imbre solum."
Sic vacua a potu non umquam tempora ducit,
curque bibat, semper Pontilianus habet.

DE SEIPSO.

P2_55 Dicebam, Euterpe, coeptis in versibus haerens,
auxilium fratri porrige, diva, tuo.
Fraterno mota est in risum nomine virgo,
et nitidum sudo reddidit ore diem.
Tunc ego subridens : "Mirari desine, nam mi
si pater est Caesar, tu soror esse potes."

IN IMPORTUNOS RECITATORES.

P2_56 Heu mihi, quam res invisa est nimis esse Poetam !
Quantum odii morbus colligit ille suis !
Nil genere hoc hominum est usquam importunius, illos
et cane, qui sapiunt, pejus et angue cavent.
Nec locus est, nec tempus, ab his subducere quo te,
non si mille modis aggrediare, queas.
In fora te, in thermas, et balnea in ipsa sequentur ;
quod si templa gradum ferre parabis, et huc.
Si notos forte aegrotos invisit, et illuc ;
spectatum ludos forsitan ibis, et huc.
Pergis, eo nullum quo ducere quaeris, et illuc ;
pergis eo, comitem quo tibi poscis, et huc.
Denique ut exoneres alvum, discedis, et illuc,
ut somnum capias fessus abibis, et huc.
Interea insulsis onerabunt versibus aures,
auribus ut te nunc ipse carere velis.
Versibus insulsis queis cantio gratior illa est,
quam geminat putri condita rana lacu.
Ex genere hoc, miserum nuper me prenderat unus :
(o lux infelix quam suit illa mihi !)
Fessus ego, insuavis mihi jam ut vita esset, apud me
fundebam surdo talia vota Jovi :
"Summe Deus, te si qua mei miseratio tangit,
(nam qua sim positus condicione vides,)
aut abige hunc tandem, aut mihi da surdescere, vel jam
alterutrum nostrum, vel neca utrumque simul."
Venerat ad primae damnata crepuscula lucis :
vix abiit vates sole cadente meus.

P2_57

# JULIUS CAESAR. TRAGOEDIA.

(570 vers)

(Pour faciliter la scansion de ce texte, nous avons dû le structurer de façon plus précise que cela n'a été fait dans l'édition de 1774 : ainsi J1_ indique l'acte 1 et _01 la scène 1, etc.)

## ACTUS PRIMUS.

CAESAR.

J1_01
Jam tota paene terra Romanos timet,
et qua resurgens aureis Phoebus comis
Indos propinqua subditos tingit face,
et qua cadentes pronus inflectens equos,
gratae sorori cedit alternas vices,
patruique lasso stagna crispat lumine,
quacumque Nereus margines terrae premit,
reges vel ipsi Caesaris nomen timent.
Numerent triumphos, cum volent, alii suos,
seque a subactis nominent provinciis :
plus est vocari Caesarem. Quisquis novos
aliunde titulos quaerit, is jam detrahit.
Numerare ductu vis meo victas plagas ?
Percurrito omnes. Ipsa victrix gentium
mihi Roma cessit. Ille tam magnus gener,
ut paene nomen duceret jam impar sibi,
terra marique fusus agnovit meas
praestare vires, quemque noluerat parem,
tulit priorem. Thessali caede hostium
maduere campi ; principum membris canes,
avesque pastae ; ductor ipse exterritus,
fugare suetus, fugit, et notos petens
sensit manere raram in aerumnis fidem.
Quid ergo restat, quidve dignum Caesare
subacta tellus exhibere ultra potest ?
Caelum petendum est : terra jam vilet mihi.
Supreme Rector, qui verendo fulmine

iratus orbis utrumque perterres polum,
si verus esse sanguis Ascanii putor,
generisque nostri tu ipse princeps auctor es ;
regni me in aliquam recipito partem tui,
avos ut inter splendidum sidus meos
matris Diones proximam aspiciam facem,
jam vel mihi, vel patriae vixi satis ;
Quid teneor ultra ? Jam mihi exactum est, geri
sago togaque quicquid eximium potest,
hostes perempti, civibus leges datae,
digestus annus, redditus sacris nitor,
compestus orbis ; cogitari nec queunt
majora cuiquam, nec minora a me geri.
Vivam otiosus ? At id quidem vix vivere est,
nec sol quietem, nec bonus princeps capit,
Cum vita partes muneris functa est sui,
mors propera numquam, sera nonnumquam venit.
Mihi multa vates dira minitantur quidem,
suadentque amicis ut meum stipem latus ;
at enim timere Caesaris numquam fuit.
Ignava mens rebusque non exercita
vereatur atrae mortis incertum diem :
generosus animus, quique se nullo videt
scelere impiatum, semper est liber metu.

CHORUS.

J1_02 Sors rerum domina omnium
non usquam stabili fixa manet pede,
sed vultum assidue, innovans,
incertisque rotans omnia flexibus,
alternas variat vices,
seu mitis faveat, sive premat nocens,
vento mobilior volat.
Illam si nitide fronte reliquerit
abdens lampada Delius,
idem flammivomos cum moderans equos
mundo restituet diem.
Sub vultu poterit cernere nubilo,
queis praesens erat, abditam.
Nec solum exiguis rebus inaestuans
privatas agitat domos :
ipsis imperiis, dum libuit, novam
inducit faciem ferox.
Haec regum arbitrio nos voluit regi,
donec Tarquinii furor
commovit proceres, tam rigidum ut semel
cervice excuterent jugum.
Hinc nos cura patrum, curaque Consulum
tutos semper ab exteris
jam per longa satis tempora praestitit ;
non a seditionibus,
quas paene assiduas exitialiter
fervens imperii sitis
nonnullorum animis insita commovet,

haec Gracchis animos dedit,
haec Syllas, Mariosque in patriae luem
armabit. Sed opus quid est
prisca exempla referre ? Haec quoque Caesarem
commisit genero ; neque
impostus prius est horum odiis modus,
quam mars sanguine civium
campos Pharsalicos undique tinxerit,
tunc, Pompei, caput in tuum
belli terrificus detonuit fragor.
Nunc Caesar solio insidens
optatis fruitur, proque libidine
solus temperat omnia.
Sic jam, nomine sub novo,
regni forma redit vetus.
Atque hoc scilicet efficit
non usquam stabili fixa manens pede
sors rerum domina omnium.

## ACTUS SECUNDUS.

D. BRUTUS.

J2_01 Qousque tandem, Brute, virtutem tuam
dormire pateris otiosam degener ?
Quousque differt civitatem liberam
tua videre vindicatam dextera ?
Nihilne te virtus tuorum commovet,
nomenque Bruti ? Nil gementis patriae,
pressae a tyranno opemque poscentis tuam
condicio dura ? Nil libelli supplices,
queis Brutum abesse civitatis vindicem
cives queruntur ? Haec parum si te movent,
tua jam, vir ut sis, te satis conjux monet,
fidem cruore quae tibi obstrinxit suam,
testata sic se avunculi prolem tui.
Si ab exsequendis te avocat coeptis timor,
animusque pigro torpet ignarus gelu,
ex femina perdisce, quid deceat virum.
An vero stirpis auctor et princeps tuae,
dominatione civitatem regia
quod liberarit, post honores maximos
complexus astra est ; Servilius, a quo tua est
deducta mater, Melium in causa pari
peremit : unum exempla te per talia
pigebit ire, et gloriam adipisci parem ?
Mucrone salvo, atque artubus adhuc integris,
videre Brutus, et pati regem potest ?
Imo audeamus magnum aliquid et nos quoque :

mactatus hacce dextera tandem cadat,
qui quandocumque ceciderit, sero cadet.
Pro patria confligere, augurium optimum est.
Generosiores frena detrectant equi,
nec nisi coacti perferunt tauri jugum ;
Roma patietur, quod recusant belluae ?
Reges adorent barbarae gentes suos,
non Roma mundi terror, et mundi stupor.
Vivente Bruto, Roma reges nesciet,
At vero non rex iste, sed dictator est.
Dum res sit una, quid aliud nomen juvat,
at nomen id refugit, et oblatas sibi
reicit coronas. Fingere hoc, et ludere est.
Nam cur Tribunos igitur amovit loco ?
Ai mihi et honores, et semel vitam dedit,
plus patria illis omnibus apud me potest.
Qui se tyranno in patriam gratum exhibet,
dum vult inepte gratus esse, ingratus est.
O rem pudendam ! Mollis et vix vir satis,
regit Quirites Martis ortos sanguine,
totumque nutu pathicus orbem temperat.
Accingere, et vim, Brute, nunc profer tuam !
Accommoda orsis venit implendis dies,
Phoebus renascens subditos cives jugo,
servosque vidit : liberos videat cadens.

CASSIUS. BRUTUS.

CASSIUS

J2_02

O cujus alto nixa virtus pectore
sperare Romam sola depressam jubet,
magnanime Brute, Phoebus aurato diem
adduxit ore, tam diu optatam mihi,
qua patria nostra libera evadat manu.
Ita fausta votis sors meis respondeat,
ut haec tyranni virulentum sanguinem
haurire dextra gestit et vix se tenet ;
utque haec nihil me cogitantem praeter haec
nox tota vidit ; sic in illum me feram,
sic involabo, sic mucronem pectore
condam scelesto fors, et ipsis dentibus
cervice dira noxium abscindam caput ;
cruento ut ore prodiens in publicum,
clamare possum : "Roma tandem libera est !
Ferus ille animus, et publici invasor boni
tenues in auras dissipatus vanuit.
Tunc si vel atra morte sit pariter mihi
mutanda vita, laetus atque alacer cadam.
Bene moritur qui patriam moriens juvat."
Quid tu ? Quid alta mente tecum mussitas ?
An non eodem prorsus affectu cales ?
Effare : nam quamvis legi in vultu potest,
orationis sum tamen cupidus tuae.

BRUTUS

Quod me plura loqui opus est, Cassi ?
Num mea tibi constantia nota est ?
Semel inter nos stetit, aut vitam
pectore forti simul abjicere,
aut patriam transdere in antiquam
libertatem : semel hoc dictum est.
Aut hoc necesse est perfici, aut Brutum mori.

CASSIUS.

O Romulea gloria gentis,
quam tibi vere rigido incoctum est
pectus honesto, quam tua me animi
oratio securum este jubet !
Unus mihi nunc fcrupulus restat :
unane opera confodiendum
cum Caesare ipso censeas Antonium ?

BRUTUS.

Jam saepe dixi id esse consilium mihi,
salvis perimere civibus Tyrannida.

CASSIUS.

Perimatur ergo ab infimis radicibus,
ne quando posthac caesa rursum pullulet.

BRUTUS.

Latet sub uno tota radix corpore.

CASSIUS. BRUTUS.

Itan videtur ? Amplius nil proloquar,
tibi pareatur ; te sequimur omnes ducem.
Vide modo, ut, cum opus erit, adsis. _**B**. Videro.

CASSIUS.

Ergo interim meque et meos paravero.

CHORUS.

J2_03

Quicumque forti pectore, patriam
praeferre vitae non dubitat suae,
  ut vel per enses propter illam
 oppositosque feratur ignes.
Non summus illi rerum opifex Deus
pigro revinxit pectora frigore,
  sed spiritus cessit superbos,
 indomitamque timore mentem.
Et bullienti plurima sanguine

caelestis aurae semina condidit,
et dixit : I, plebem prementes
contere, nil veritus, tyrannos.
Hac arte praestans Harmodius suos
servavit, uno nixus amiculo ;
nunc utriusque excelsa florent
nomina non tribuenda servis.
Quos si otiosos tuta sequens timor
forte avocasset rebus ab arduis,
qui mortuos consumpsit ignis,
nomina non minus obruisset.
Caret severus crimine Carnabas,
et laude dignus creditur, haud probro,
quamvis ferocem caede dextram
tingere nil veritus paterna.
Odit tyrannos Jupiter, et favet,
cum quisquam in illos consilium parat,
illosque natis saepe tradit
conjugibusve suis necandos.
O quot, quibusque est plena periculis
sors imperantum ! Praecipue quibus
non civium concors voluntas,
sed regimen peperere vires.
Plebem timeto, qui solio insidens
plebi timeris, fons odii timor
audere jussit multa multos ;
saepe gelu calor excitatur.
Rarus tyrannus morte perit sua,
illos veneno cauta necat manus,
hos plebis iratae tumultus,
hos rigidus gladio satelles.
Multo ille vitam tutius exigit,
quicumque parvis privus in aedibus,
nullum timens, nulli timendus,
pelle sub exigua quiescit.

## ACTUS TERTIUS.

### CALPURNIA. NUTRIX.

CALPURNIA.

J3_01

O di ! molestis tollite omen somniis,
nec sinite, quaeso, pondus ullum tam malis
inesse visis ! Horror artus concutit,

corpusque totum frigidus sudor lavat,
quoties recordor ; mensque nescio quod malum
praesagit ipsa. _**N**. Alumna, quidnam esse hoc putem,
maesto quod ore, et lacrimis manantibus,
secreta quaeris, teque nobis subtrahis ?
Quae causa fletus ? Quisve tam subitus dolor
turbare mentem tam cito potuit tuam ?
Potestne flendum quippiam contingere
nuptae viro, qui paene fortunam regit ?

CALPURNIA.

Dilecta nutrix, quid mihi instet, nescio ;
sed me misellam mirus invasit timor.

NUTRIX.

Conceptus unde ? _**C**. Nil tibi, vel si velim,
celare possum, visa noctis proximae
me terruerunt. Victa nam postquam dies
hesterna cessit, noxque nigro tegmine
involvit omnem caece telluris globum :
amplexa blandum Caesaris collum mei,
placida quiete vix resolvi coeperam,
cum mihi repente visus ; heu nutrix mea,
retine labentem ! _**N**. Alumna habeto animum bonum.
Sopor timores saepe vanos objicit.
Narrare perge cuncta, velut occeperas.

CALPURNIA.

Caesar meus, nutrix mea, heu, Caesar meus,
meus ille Caesar, quo mea innixa est salus,
mihi visus ulnas inter effusus meas,
jacere multo sanguine et tabo fluens,
multisque plagis pulchra fossus pectora.
Tum mihi quietem subitus excussit timor.
Misera artius repente complector virum,
pectusque tento, quaeque somnus finxerat,
vix falsa credo : vix habeo manibus fidem.
Heu quid deorum, talibus visis, mihi
minatur ira, quidve portendit mali ?

NUTRIX.

O mitte questus, neve nondum urgens malum
celerare perge. Qui malum timet imminens,
geminat timendo. Sive nihil instat mali,
fallaxque mentem imago turbavit tuam,
cur vana veros causa producet metus ?
Seu (quod repellant sancta divum numina !)
Mutata Romae fata quid gravius parant,
tamen haud timendum est. Rite conceptis deos
mollire votis, turaque aris omnibus
adolere praestat. Non inexorabilis
mens est deorum : saepe flectuntur prece.

Quamquam equidem, alumna instare nil existimo,
sed vana mentes saepe ludunt somnia.
Quam saepe inanis est mihi objectui timor,
sic somnianti ; nulla inest somno fides.
Quis tam vel audax, Caesarem ut petere audeat ?
Vel tam impius petere ut velit patriae patrem ?
Quotquot vel error, vel voluntas pertinax,
vel invidia Caesari inimicarat tuo,
partim verendus perculit Martis furor,
miranda partim Caesaris clementia
servavit, et servando amicos reddidit.
An ullus ingenio esse tam immani queat,
debere vitam ut cui suam se intelligat,
illius ipse tentet insidiis caput ?
O mitte questus ! Abjice ex animo metum.
Venti leves tua dissipabunt somnia.

CALPURNIA.

Ita di velint : utcumque sit, saltem virum
precabor, ut se contineas hodie domi.
Ubi quid timetur, cautio numquam nocet.

CHORUS.

J3_02A
Jam dies Annae rediit Perennae :
"O quot in laetis, Tiberine, ripis,
senties lusus hodie venuslos !
Quot puellarum pedibus premeris ?
Candidi quot te juvenes revisent,
quot senes ? Qui dehinc titubante gressu,
saepe siccatis madidi culullis.
Nare de crispa tremulum vibrissent.
Et vacillantes agitent choreas.

J3_02B
Di ! procul laevum teneatis omen,
neu mali quicquam sinite evenire,
quo minus vultu populus sereno
possit antiquos celebrare ritus :
tuta sed vestro assidue perennet
Roma favore !
Nil in humanis stabile est putandum,
saepe securos inimica lusus
horrido turbat Nemesis flagello,
grataque in luctus, gemitusque amaros
gaudia vertit.
Abstine, o densa sata nocte virgo,
virgo, quae voces reprimis superbas,
et feris sceptro nimium potenti
magna locutos.
Romuli te gens colit, et veretur,
cur premas, qui te venerantur, et qui
debito addicti tua prosequuntur
numina cultu ?

## ACTUS QUARTUS.

### CAESAR. CALPURNIA. D. BRUTUS.

CAESAR

J4_01
Ne deprecare : turpi me fractum metu
desistere esset. _**C**. Tam nihil apud te valent
uxoris (eheu !) paene jam exanimis preces ?

CAESAR.

Quid ? somniis me credere tuis postulas ?

CALPURNIA.

Non, sed timeri ut nonnihil tribuas meo.

CAESAR.

At ille solis nititur somnis timor.

CALPURNIA.

Finge esse vanum : tribuito aliquid conjugi.

CAESAR.

Etiam petenti, quod decus laedat meum ?

CALPURNIA.

Non, sed petenti, quod caput servet tuum.

CAESAR.

Desine timere. _**C**. Audere desine tu prius.
Tuaeque si adeo spernis uxoris metum,
movere vatum oraculis minacibus,
periculosam qui tibi hanc lucem admonent.
Si spectra, si te auspicia, si fibrae monent
cavere, et hunc meum timorem comprobant
quid in paratam pertinax mortem ruis ?

CAESAR.

Quando timorem ponere aliter non potest
ne nos tibi queraris omnino nihil

tribuere, mittatur Senatus in hunc diem.

BRUTUS.

Magnanime Caesar, quod tibi verbum excidit ?
Tene potuisse barbarorum copias,
nil mente mota fortiter contemnere,
non posse nunc temnere mulieris somnia ?
Ubi pectoris vis illa praecellens tui est,
quam sensit olim, quique septeno videt
Nilum per arva profluentem gurgite,
quique glaciali colla suppositus polo,
concreta pigro maria sulcat marmore,
et quos rapaci Rhodanus unda verberat,
Galli feroces ? O statum deterrimum,
si Caesar orbem, Caesarem mulier regit ?
Conscende currus, laeta victrix, aureos,
gemmantibusque pervehitor urbem rotis :
totius orbis sola domitorem domas.
Veteres triumphos Roma nunc sileat suos,
et militaris conticescat gloria ;
invictus armis Caesar hodie vincitur.
Quid, Caesar, animi patribus credis fore,
si te jubente convocatos jusseris
abire nunc, redire, cum Calpurniae
meliora sese objecerint insomnia ?
Vade potius constanter, et nomen cape
Parthis timendum ; aut hoc minus si te juvat.
Prodito saltem, atque ipso patres mittito ;
ne negligi se, aut ludibrio haberi putent.

CAESAR

Incertus animi et huc et illuc distrahor,
qualis per aequor concitus bacchantibus
deprensa ventis fertur incerto ratis
agitata cursu ; pellit illinc Africus
creber procellis, Eurus hinc, illinc Notus :
si me hinc tuae, Calpurnia, inflectunt preces,
hinc dicta Bruti. Sed tamen quando semel
vel cadere praestat, quam metu longo premi,
non si trecentis vocibus vatum avocer,
non si ipse voce propria praesens Deus
moneat pericli, atque hic manendum suadeat,
me continebo. Desine, uxor, conqueri,
eamus : omnis jacta nobis alea est.

CALPURNIA.

Abiit, mea nil dicta moratus,
di, qui Romae geritis curam,
quo vos fas est cumque vocari
nomine, si vos manibus puris.
Menteque casta semper colui,
servate meo in Caesare Romam !

CHORUS

J4_02

Creditur vulgus muliebre numquam
consili micam dare profuturi,
sed rapi affectu, penitusque sana
        mente carere ;
sed tamen si quis bonus aestimator
rem putet recta ratione totam
dicet in multis micuisse magnam
        consilii vim.
Ilion numquam cecidisset olim,
imo adhuc arces Priami manerent,
si Deo plenae Paris audiisset
        dicta sororis.
Illa, cum laeta tumidus rapina
captor ad sedes patrias rediret,
dicitur totam, resoluta crines,
        ille per urbem,
clamitans : turpem procul ire moecham
cogite, o Teucri, gerit illa secum
moenibus vestris, Phrygiaeque fata
        ultima pubi.
Caede jam campos video madentes,
jam ferox gnatus Thetidos marinae
hinc et hinc strages geminat, tremenda
        cuspide pugnax.
Jamque mutato Simois colore,
inficit ripas, galeasque secum
volvit, et fortis madidas juventae
        sanguine cetras.
Ah dolor ! Sanctas etiamne ad aras,
exuis vitam, genitor, senilem ?
Nec vel Hercaeus cohibet furentem
        Jupiter iram ?
Haec et his multo cecinisse plura
dicitur quondam furibunda vates,
sed dolor Phoebi vetuit superbos
        credere Troas.
Pertinax quisquis sibi credit uni,
ceteros spernens melius monentes,
ille, si coeptis pereat sub ipsis,
        jure peribit.

## ACTUS QUINTUS.

BRUTUS ET CASSIUS.

BRUTUS.

J5_01

Spirate cives ! Caesar interfectus est,

ille, ille Caesar, patriae terror suae,
hostis senatus, innocentum carnifex,
legum ruina, publici juris lues ;
cujus rapinas nuper, et libidines
agnovit orbis totus et perpessus est,
in curia, quam oppresserat, oppressus jacet.

CASSIUS.

En, Roma, gladium adhuc tepentem sanguine,
in dignitatis vindicem dextram tuae !
Impurus ille, qui furore nefario,
rabieque caeca, te et tuos vexaverat,
hac, hac manu, atque hoc, hocce gladio, quem vides,
consauciatus, et omnibus membris lacer,
undam cruoris, et animam evomuit simul.

BRUTUS.

Ite, ite, cives, convolate in curiam,
mentem novo saturate jam spectaculo !
Immanis ille latro, qui regnum sua
jam spe vorarat, patriae oppressae incubans,
anima probris plena omnibus spoliatus est.
Ite, et cadaver illud obscaenum foris
date laniandum, quo feram absumant ferae.

CASSIUS.

Erymanthium perculerit Alcides aprum,
Hydramque flammis pertinacem exstinxerit,
ipsumque caelo, iterumque caelo redditum
confecerit leonem : in uno corpore
sexcenta nobis monstra debellata sunt.
Si strenuis justus datur factis honos,
tua, Brute, fastos ampliabit gloria.

BRUTUS

Quicumque mente patriam saeva premit,
suosque cives subdit ut servos sibi,
dum blandientis jam tenet summum rotae.
Ipsosque paene temnit aequalis deos,
simul atque versus cessat astrorum favor
et constitutas tempus adduxit vices,
cadit suoque ceteros casu monet,
virtute dempta ne quid aeternum putent.

CASSIUS.

Sic, sic tyranni debitas poenas luant,
numquamque sicca finiant vitam nece !
Eamus hinc, et editam Capitolii
scandamus arcem ! Roma tandem libera est.

## CALPURNIA. CHORUS.

### CALPURNIA.

J5_02A

Eheu, quis aures nuntius tetigit meas,
cecidisse dira Caesarem Bruti manu !
O somniorum jam nimis veram fidem !
Sic misera quondam Troici conjux senis,
quam somniarat, tulit et experta est facem,
o, quae dolari verba sufficiant meo ?
Dehisce terra, meque miserandam abripe !
Aut vos, nefandi parricidae, huc, huc cito.
Venite gressu, quoque ferro conjugem
meum necastis, me, me eodem tollite !
Secunda vestras hostia exspecto manus.
Cupide madentem conjugali sanguine
jugulo mucronem, aut pectore excipiam meo.
Nondum litasti, Brute, perficito sacrum.
Nondum peremptus Caesar est : pars illius
maneo superstes. Non meus vitam tibi
vir denegarat, ne mihi mortem nega.
Moriar semel, quo desinam toties mori.
At tu, doloris turba nostri particeps,
dum languidus paulatim animus absumitur,
et membra linquens tabida petit Caesarem,
adjunge maestam fletibus vocem meis.

### CHORUS.

J5_02B

Aetheris alti lugeat orbis !
Tuque o radiis incincte caput,
volucris splendens arbiter anni,
propera pulchros abdere vultus !
Tu quoque falsae dominator aquae,
valido terram concute sceptro !
Omnia maerorem patefaciant !
Ille subactae gloria terrae.
Nunc repetiti gloria caeli,
uno Caesar Jove patre minor
    liquit terras.
O impuri ! O illaudati !
Quorum sacrilega manus potuit
tantum mundi exstinguere lumen,
quae vobis sint supplicia satis ?
Quis taurus, quae rota, quis gladius
possit vestrum aequare furorem ?
Vobis tellus, vobis aether,
vobis deneget unda quietem !
Vos ultrices agitent furiae !
Una cruentis agitet flagris ;
altera taetro coquat igne genas,
tristes alia objiciat colubros,
qui se vestro sanguine pascant :
Stygia donec sede receptos

laniet rostro vultur adunco,
vexet iniquum Aeolidae pondus,
et supplicii quicquid acerbi
sceleratos exagitat manes !
At tu, nostri causa doloris,
multum flete, et multum flende,
hos, bone, planctus accipe, Caesar !

CAESAR.

J5_02C
Quid caelitum me fletis adjunctum choro ?
Non luridi me stagna Cocyti tenent,
sed templa caeli ; non malignae me furor
tetigit cohortis, ipsa jam genitrix manu
mi collocarat inter astrorum globos.
Simulacra tantum nuda dilaniata sunt,
nec ipse cecidi : umbra cecidit tantum mea.
Desinite flere ! Lacrimae  miseros decent.
Qui me furenti (vera praemoneo, indiges,)
sunt animo adorti, non inultum illud ferent.
Haeres meae virtutis, ut sceptri mei,
nepos sororis, arbitratu pro suo
poenas reposcet. Ponite modum luctibus :
ego ad alta caeli tecta stellantis feror.

CALPURNIA.

J5_02D
Unde, quaeso, vox ad aures istas pervenit meas ?
En sonum, marite, dulcem vocis agnosco tuae.
Non iniqua te peremit parricidarum manus ?
Vivis, et receptus astris, laetus assides Jovi.
Quo soles, bonus, favore perge complecti tuos.

CHORUS.

J5_02E
Sunt manes aliquid ; cumque diem ultimum
adduxit fera mors, est aliquid tamen,
quod vitat Libitinam,
exstructosque fugit rogos.
Id si, dum vegetat membra, datum sibi
vitae curriculum puriter egerit,
nec se turpificarit
impuris scelerum notis,
mox, ut corporeo carcere liberum est,
rurfus sidereas convolat in domos,
qua Saturnia lacte
signabit proprio viam.
Atque illic, numero caelicolum additum,
caelesti ambrosiae gramine vescitur,
et carchesia sacri
plena nectaris ebibit.
Haec olim haud dubie praemia vos manent,
quicumque innocuo pectore simplices

virtutemque tenetis
et canam colitis fidem.